PRINCIPIA DOCTRINAE
DE
REGENERATIONE
IN NOVO TESTAMENTO OBVIAE.

DISSERTATIO,

QVAM

AUCTORITATE ORDINIS THEOLOGORUM

SVMME REVERENDI

ALMAE LITERARUM UNIVERSITATIS FRIDERICO-ALEXANDRINAE
ERLANGENSIS

PRO

CAPESSENDIS HONORIBUS LICENTIATI THEOLOGIAE

DIE VIII. AUG. MDCCCLVII

PUBLICE DEFENDENDAM

SCRIPSIT

PHILIPPUS AUGUSTUS KOEHLER
REV. MIN. CANDIDATUS, PHILOSOPHIAE DOCTOR.

ERLANGAE,
TYPIS JUNGE & FILII
1857.

Dei est, inquam, Dei est omne quod possumus: inde vivimus, inde pollemus, inde sumpto et concepto vigore, hic adhuc positi futurorum indicia praenoscimus.

Cypriani epistol. lib. II, 2.

De summa gravitate argumenti, quod jam sum tractaturus, nemo dubitare potest; salutis enim nostrae regeneratio est et via et conditio secundum effata Domini: *ἐὰν μή τις γεννηθῇ ἄνωθεν, οὐ δύναται ἰδεῖν τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ* [1]), et: *πᾶσα φυτεία ἣν οὐκ ἐφύτευσεν ὁ πατήρ μου ὁ οὐράνιος ἐκριζωθήσεται* [2]). Quo magis vero necessariam regenerationem esse inter omnes theologos Christianos constat, eo majore afficimur admiratione, quod tam varia, diversa, contraria de ea re viri statuerint docti, e. g. orthodoxi, pietistae, mystici. Sed non solum inter se pugnant illae doctrinae, verum etiam in magna pericula saepe Christianos adduxerunt, de salute sua sollicitos. Theologorum idcirco nostri aevi, quippe qui ad studia biblica denuo se toto animo converterint, imprimis videtur esse, enucleare, quid sacra Scriptura, quae ab ecclesia nostra [3]) „limpidissimus purissimusque Israelis fons“ et „unica et certissima regula“ habeatur, de regeneratione doceat. Quo in Scripturae studio si toti versamur, fieri non potest, quin inveniamus, quae unice vera eaque confessioni nostrae consentanea doctrina sit. Haec igitur me movent, ut et ipse, quamvis nequaquam immemor sim propositi difficultatis, ad hunc dogmatices locum studia convertam, ita ut, quae sit summa doctrinae, in novo Testamento de regeneratione exhibitae, hac dissertatione explanare coner. Id quod optime sic factum iri puto, ut primum exponam, quae naturalis hominis conditio sit, deinde vero, quomodo haec conditio immutetur.

---

1) Joh. 3, 3.

2) Matth. 15, 13.

3) Formula Concord. ed. Hase pag. 632.

Cap. I.

De naturali hominis conditione.

Antequam vero rem ipsam tractare incipiamus, videtur necesse esse paucis explanare, quid de hominis natura sive idea sentiamus.

Et meditatione nostri ipsorum et narratione sacrae Scripturae de hominis origine probatur, hominem primo secundum totam essentiam a Deo effectum esse qui sit (positum esse). Neque tamen homo quod est positus, distinctus est a creaturis ceteris, quae et ipsae omnes secundum totam essentiam a Deo positae sunt. Distinctus vero est homo a ceteris creaturis eo potius, quod secundo effectus est qui fiat (quod positus est eo consilio, ut ipse postea se ponat), vel quod conscientia et voluntate est praeditus. Duplici igitur respectu considerandus est homo: 1) quatenus mere est positus, et creatura[1]) nuncupari potest; 2) quatenus a Deo positus, jam ipse se ponit, et praedicatum personae ei competit. Homo autem, qui ad maturitatem personae nondum pervenit, vel infans, qui naturâ suâ initio creatura potissimum est ac libertate personae caret, evadit persona non mere crescendo et maturescendo (evolutionsweise, lediglich auf dem Wege der Entwicklung), sicuti ex flore crescendo et maturescendo fit fructus — quamquam negari non potest, hominem creaturam certe jam inde ab initio potentiâ etiam esse personam ac se ipsum ponere —: sed potius, ut homo creatura fiat persona, necesse est ab alia quadam persona (ac imprimis quidem per instrumentum verbi) tangatur et personae semen, quod ei jam inest, excitetur. Sin non tangitur, homo teste historiâ manet mera creatura, ita ut ad personae libertatem non progrediatur. Sic nonnulli jam pueri fuisse narrantur, qui hominum commercio privati, quamquam magis minusve adoleverant, tamen ad nullam personae maturitatem pervenerant, brutis haud dissimiles.

---

1) Alii nomine naturae utuntur.

Attamen homo, cum fit persona, non desinit esse creatura; nam propterea tantum, quod a Deo positus est, eoque consilio positus est, ut deinde ipse sese ponat, personae potestatem habet: unde apparet, hominem, si creatura esse desineret, simul personam esse desinere, sive omnino esse desinere. Neque potest homo, quia est persona, id immutare, quod ut sit, a Deo creatus est; sed illud tantum, quod ut per suam voluntatem fiat, a Deo destinatus est, hominis libertati subiectum est; sive aliis verbis: homo essentiam suam ac substantiam mutare nequit; sed finem, ad quem creatus est, utrum assequatur nec ne ipsius est. Creatus vero est, ut ipse talem se esse sentiat ac velit, qualem eum crearit Deus; ut in illa Dei communione, in quam est creatus atque in qua est, ipse se esse velit et servet. Quam communionem si propria conscientia et voluntate tenet, finem, ad quem est creatus, assecutus est ac vita divina eaque aeterna, quippe quae ex illa voluntaria cum Deo communione ei affluat, fruitur. Sin a fine ei proposito declinaverit, sin communionem illam divinam dereliquerit: eo ipso vita divina eaque aeterna privatus est, ejusdemque sortis, qua utuntur quaecunque creaturae finem suum aut assequi nequeunt aut jam transgressi sunt, particeps fit i. e. moritur. Vita igitur, quam fortasse communione illa relicta degit, certe est moribunda et in mortem se dissolvit. Quaecunque vero homo facit, ex commercio illo divino egressus, ea facit talis, qui a destinatione, per Deum ei praescripta, alienus sit; unde quidquid facit, voluntati Dei est oppositum i. e. peccatum. Qualis enim homo, tale quicquid agit (die Handlungen eines Menschen sind gleichsam die nach einem bestimmten Objecte hin in Bewegung gesetzte Zuständlichkeit desselben).

Duplici autem modo homo eo perduci potest, ut a fine, sibi praescripto, deflectat: aut enim homo ipse sese ex ima et propria conscientia et voluntate eo destinare potest, ut finem illum evitet; aut ab alio quodam (Diabolo) pellici potest, ut a fine decedat. A Diabolo si pellicitur, privatur quidem vita divina eaque aeterna i. e. moritur peccandique necessitati subjicitur nec non servitute a Diabolo oppressus tenetur (a quo enim quis superatus est, huic etiam est in servitutem addictus, 2 Petr. 2, 19) —, sed ad vitam divinam sive ad communionem cum

Deo redintegrari potest a Deo. Nec enim ipse a fine praescripto deflexit, sed, quamvis non invitus, deflexus est ab alio.

His de hominis natura praemissis, jam ad id, quod primo loco quaesivimus, accedere licet, ita quidem, ut, quae sit hominis conditio naturalis, Scriptura duce explicemus. Naturalem autem hominis conditionem eam esse dicimus, quam habet ex ortu, speciali Dei concursu non interveniente.

Protoplasti quum a Diabolo seduci se paterentur, privabantur communione Dei, ex qua vita aeterna iis proficiscebatur, et incidebant in servitutem mortis, peccati, Diaboli. Haec igitur servitus erat conditio primorum parentum: neque tamen horum solum, sed totius etiam eorum progeniei. Qua enim parentes utuntur conditione, eadem etiam liberi. Itaque nunc potissimum nobis demonstrandum est, homines naturales esse mortuos peccandique necessitati obnoxios, nec non a Satana servitute suppressos teneri.

Nam homines etiam post Adami lapsum originem suam, quamquam mediate, a Deo ducere, non est, quod fusius contra Gnosticos, qui a summo Deo homines creari non statuunt, probemus. Liquet enim cum ex iis, quae in sacra Scriptura de hominis creatione narrantur, tum ex consilio, quod cepit Deus, hominum servandorum. Dei destinatio est et benedictio [1]), per quam procreantur liberi. Ac tantum abest, ut per lapsum mutata sit haec destinatio et benedictio, ut per semen mulieris [2]) genus humanum, peccato pollutum, nacturum esse salutem, pollicitus sit Deus. Quare sancti Autores semper et ubique Deum vitae lapsorum quoque hominum autorem esse sumunt. Ita contendit Moses, Deum aeternum immutabilem hos tradere morti, illos in vitam vocare [3]). Et ubi Paulus apostolus Athenienses docet, quis sit ille Deus ignotus, quem ignorantes coluerint, illum esse tradit, qui omnibus det vitam et halitum et omnia, feceritque ex uno sanguine to-

1) Gen. 1, 27. 28.

2) Gen. 3, 15.

3) Ps. 90, 3; cf. Ps. 104, 29. 30; Jes. 42, 5; Zach. 12, 1; Mal. 2, 10 — Quos praeterea Dogmatici attrahunt Scripturae locos Jes. 44, 24; al. de Israele, non de homine loquuntur.

tam gentem hominum, ut habitaret super universa superficie terrae, in quo et vivamus et nos moveamus et simus [1]). — Huc pertinent illi quoque loci, quibus aut quaecunque et in coelo et in terris sunt, a Deo creata esse [2]), aut omnia per Christum facta esse dicuntur [3]).

Attamen homo naturalis, quamquam vitam habet a Deo, revera mortuus est; Scriptura docemur, homines a natura sub morte esse. Sic dicit Dominus Joh. 5, 24: *ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν ὅτι ὁ τὸν λόγον μου ἀκούων καὶ πιστεύων τῷ πέμψαντί με ἔχει ζωὴν αἰώνιον, καὶ εἰς κρίσιν οὐκ ἔρχεται ἀλλὰ μεταβέβηκεν ἐκ τοῦ θανάτου εἰς τὴν ζωήν.* Contendit igitur Servator, eum, qui verbo aurem praebeat et fidem habeat Patri, vitam habere aeternam, a morte in vitam esse transgressum. Unde apparet, illum antea, quamquam ex hac vita nondum egressus erat, in morte versatum fuisse. Vocabulo „*θάνατος*" autem revera mortem (Todeszustand), non necessitatem moriendi aut ejusmodi quidquam intelligendum esse, inde apparet, quod illi, qui in hac „morte" versantur, *νεκροί* (mortui, Todte), non *θνητοί* (mortales s. moribundi) vocantur. — 1 Joh. 3, 13. 14 legimus: *μὴ θαυμάζετε, ἀδελφοί, εἰ μισεῖ ὑμᾶς ὁ κόσμος· ἡμεῖς οἴδαμεν ὅτι μεταβεβήκαμεν ἐκ τοῦ θανάτου εἰς τὴν ζωήν, ὅτι ἀγαπῶμεν τοὺς ἀδελφούς· ὁ μὴ ἀγαπῶν μένει ἐν τῷ θανάτῳ.* Cohortatur Apostolus hoc loco lectores, ne, quod mundus ipsos odio persequatur, mirentur. Quum enim mundus ecclesiae Dei, quae a morte ad vitam transgressa est, contrarius sit et oppositus, necesse est hanc ecclesiam oderit. Sin non odisset, non amplius esset, qui est, mundus, in morte manens. Nos vero, a morte in vitam nos esse transgressos, inde cognoscimus, quod fratres diligimus, non, quemadmodum mundus, odimus. Qui enim non diligit, manet in morte; et Christiani ipsi, nisi diligerent, in morte manerent, Christiani non essent. Itaque hoc quoque loco mundus in morte versari dicitur. — Mortem per peccatum unius hominis mundum intrasse

---

1) Act. 17, 25. 26. 28.
2) Jerem. 10, 16; 27, 5; Ps. 89, 12; 146, 6; Nehem. 9, 6; Act. 4, 24; 14, 15; 1 Cor. 8, 6; Apoc. 4, 11. — Rom. 9, 20. 21.
3) Joh. 1, 3; Col. 1, 16; Hebr. 1, 2. 3.

et ad omnes homines transiisse dicit Paulus apostolus Rom. 5, 12. Per „διὰ τοῦτο" Apostolus quae sequuntur ad ea annectit, quae inde a cap. 5, 1 leguntur: justificatos nos habere pacem apud Deum per Jesum Christum et spem gloriae Dei. Apodosis, quae ad ὥςπερ pertinet, deest; hunc autem in modum fere supplenda erit: „ita per Jesum Christum gratia et spes gloriae Dei." Verba εἰςῆλθεν et διῆλθεν inter se esse opposita, non est quod moneamus: priore membro δι' ἑνὸς ἀνθρώπου — — διὰ τῆς ἁμαρτίας ὁ θάνατος" Apostolus vult in memoriam revocare, mortem esse ingressam in mundum per peccatum unius Adami; altero „καὶ οὕτως — — διῆλθεν" mortem eo ipso, quod semel intraverit in mundum (et Adamum tenuerit captivum), pervagatam esse ad omnes homines. Οὕτως enim idem est ac διὰ τῆς ἁμαρτίας καὶ τοῦ θανάτου τοῦ ἑνὸς ἀνθρώπου; ad οὕτως autem, non ad διῆλθεν, pertinet καί, quod significatione „et", non „etiam" hic utitur. Vocabulo „θάνατος" neque hic „necessitatem moriendi", sed „conditionem praesentis mortis" expressam esse, apparet ex enunciatione relativa, quae sequitur, „ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον". Hoc ἐφ' ᾧ quominus solvamus per „ἐπὶ τούτῳ ὅτι", impedimur praemisso vocabulo οὕτως, quod ipsum, quomodo ad omnes homines transgressa sit mors, reddit rationem, eamque plane alienam ab illa, quam per „ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον" reddi perhibent. Alii hoc „ἐφ' ᾧ" nostro loco sicut alibi quoque idem esse statuunt ac „ἐπὶ τούτῳ ὥστε", „ea conditione ut"; quum vero conditio allegari nequeat, quâ impletâ mors regnaverit, amplificant significationem illius ἐφ' ᾧ, ut sit „ea ratione ut" (unter der näheren Bestimmtheit dass). Quae explicatio si recta esset, nos quidem non intelligeremus, cur verba ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον praecedentibus adjecta sint. Ita enim connexus causalis non intercederet inter hoc membrum et enunciationem, quae praecedit. Referimus igitur pronomen relativum ᾧ ad „θάνατος". Jam vero duplici modo solvi potest praepositio ἐπὶ. Etenim ἐπὶ cum dativo indicat aut finem, ad quem aliquid fit, aut fundamentum, in quo quid exstructum est, deinde metaphorice, quo fundamento nisum i. e. quâ cansâ aliquid fiat, e. g. ἐφ' αἵματι φεύγειν, ob caedem fugere (cf. Matth. 4, 4). Priorem significationem hic statuere, iterum vetamur praecedente

οὕτως; altera igitur praepositioni „*ἐπὶ*" nostro loco tribuenda videtur esse; atque sententia hujus membri relativi fere haec est: mors quum adsit homini sive potius insit iam inde a puero, necesse est peccet, sicuti revera omnes peccabant. Quod autem homo ad peccandum obstrictus est et peccat, inde non potest derivari, quod homini mors immineat, sed inde tantum, quod mortis conditio ei jam et adsit et insit. Itaque ex nostro quoque loco, hominem sub morte esse, discimus. Quae vero sententia erat vocabuli „*θάνατος*" cap. 5, 12, eadem certe sequentibus etiam versibus est: vers. 14 *ἐβασίλευσεν ὁ θάνατος ἀπὸ Ἀδὰμ μέχρι Μωυσέως καὶ ἐπὶ τοὺς μὴ ἁμαρτήσαντας ἐπὶ τῷ ὁμοιώματι τῆς παραβάσεως Ἀδάμ*, et v. 17 *ἐν ἑνὶ παραπτώματι ὁ θάνατος ἐβασίλευσεν διὰ τοῦ ἑνός.* Jam vero quaerendum est, quid significet *θάνατος* sive mors? Apparet ex loco Eph. 4, 18, quo gentes „*ἀπηλλοτριωμένοι τῆς ζωῆς τοῦ θεοῦ*" esse dicuntur. Quum vero hic gentes Israelitis non opponantur, quemadmodum cap. 2, 11 sqq., non est, quod cum Harlessio verba, „*ἀπηλλοτριωμένοι τῆς ζωῆς τοῦ θεοῦ* simili modo explicemus atque „*ἄθεοι ἐν τῷ κόσμῳ*" cap. 2, 12. Verba enim *ἄθεοι ἐν τῷ κόσμῳ* significant, gentes cognitione unius veri Dei, qua fruebantur Israëlitae, privatas fuisse; verbis „*ἀπηλλοτριωμένοι τῆς ζωῆς τοῦ θεοῦ*" gentes praedicantur tales, qui vita vere divina ideoque aeterna careant [1]) i. e. mortuae sint. Mortuae autem non modo gentes sunt (cap. 2, 1), sed etiam Israelitae (cap. 2, 5). Ex hoc igitur loco concludendum videtur, mortem esse vitae defectum, mortisque notionem esse negativam. Jam nobis, qui mortem positive non definiamus, sed negative tantum vitae defectum esse statuamus, dicendum erit, cujus vitae defectus sit illa mors, de qua agimus. Videtur autem nobis vita omnino effectus esse inhabitationis Spiritus Dei in creatura, qua (inhabitatione) creatura redditur talis, qualem Deus eam esse vult. Ita planta vivit, quod Spiritus Dei inest, qui eam reddit creaturam organice crescendo adolescentem; mors igitur plantae est illius effectus absentia, non plane elementorum deletio. Similiter vitam hominis dicimus esse Spiritus Dei, hominem inhabitantis, effectum, quo est persona, in

1) Genitivum *τοῦ θεοῦ* genitivum auctoris esse ducimus cum Harlessio ad h. l.

liberam cum Deo cummunionem creata [1]). Qua in libera communione Dei si se tenuerit homo, finem suum assecutus est nec non vitam divinam eamque aeternam habet. Sin ex hac communione excesserit, a fine suo aberravit vitaque aeterna privatus est; ita ut jure mortuus dicatur. Neque tamen jam omnino esse desinit, sed relabitur primum in conditionem, in qua, quia corpore adhuc indutus in his terris degit, in communionem cum Deo restitui potest [2]). Deinde corpus propter illam vitae aeternae absentiam ab anima decedit, irruitque homo, quia redintegratus non est, in conditionem, de qua quidem valet proverbium Germanicum: „die Verschiedenen sind auch die Entschiedenen“, ubi autem, quia homines, qui in his terris vivunt, salutis spe fruuntur, non omnis evanuit spes, fore, ut et is, qui in tristissimo illo statu versetur, redipiscatur corpus et olim redimatur. Quando vero homines terreni aut redempti ac vita aeterna iterum donati erunt, aut vitam illam aeternam obstinate respuerint, itaque hic mundus ad finem pervenerit: tunc illa quoque spe plane abolita homo morte aeterna tenebitur. Ita mors nobis ubique una videtur esse, et contineri vitae aeternae sive divinae absentia. Rejicimus igitur opinionem eorum theologorum, qui inter mortem spiritualem, corporalem, aeternam ita discernunt, ut hanc ab illa sejungant. Quamquam minime negamus, etiam recte sic distingui posse. Mors enim, quamquam ubique vitae divinae absentia est, diversa tamen est pro

1) Haud igitur inepte, quamquam minus accurate Calvinus nobis videtur triplicem in mundo vitam discernere; adnotat enim ad Eph. 4, 18: „Sciamus, in hoc mundo tres esse vitae gradus. Nam una est vita universalis, quae motu duntaxat et sensu constat, cujus etiam participes sunt bestiae: secunda est humana, qua sumus filii Adae: tertia est supernaturalis, quam soli fideles obtinent. Atque omnes quidem a Deo sunt, ideoque potest unaquaeque vita Dei nominari. Nam de prima habetur Act. 17, 28 — —. Item Ps. 104, 30 — —. De secunda Job. 10, 12: Vitam dedisti mihi, et visitatio tua custodivit spiritum meum. Sed per excellentiam regeneratio fidelium hic nominatur vita Dei: quoniam tunc proprie vivit Deus in nobis, et nos fruimur ejus vita, quum Spiritu suo nos gubernat.“

2) Sic Apostolus 1 Tim. 5, 6 viduam, in deliciis versantem, dicit vivam esse mortuam: *ζῶσα τέθνηκεν*.

diversa hominis conditione externa; quamdiu enim homo, qui vitâ ex commercio cum Deo ortâ caret, corpore animato utitur, spiritualiter mortuus jure dicitur; sin corpus exuerit, aliqua tamen remanente spe corpus redipiscendi simulque vitam aeternam denuo nanciscendi, corporaliter mortuus est; ea quoque spes si perierit, morte aeterna mulctatus est. Ita prima mors homini naturali ex se gignit secundam et tertiam, sive potius prima, secunda, tertia mors homini naturali una revera eademque est. Haec est mors, in quam protaplasti, quam peccando a Deo sese averterent, irruerunt; eademque mors est, qua omnis homo naturalis captivus tenetur. Quum autem unius mortis effectus tristes luculentissime homini ex morte corporali appareant, haec etiam est, de qua Scriptura saepissime agit quamque potissimum tamquam peccati mercedem proponit. Sic corporalis mortis significatio praevalet in „ἀποθνήσκουσιν" apud Apostolum 1 Cor. 15, 22: *ὥσπερ γὰρ ἐν τῷ Ἀδὰμ πάντες ἀποθνήσκουσιν, οὕτως καὶ ἐν τῷ Χριστῷ πάντες ζωοποιηθήσονται.* Inde enim, quod de resurrectione mortuorum, de qua illud *ζωοποιηθήσονται* dictum est, Apostolus hoc loco agit, efficitur, etiam vocabulum *ἀποθνήσκουσιν* praecipue de morte corporali esse intelligendum [1]).

Deinde mortuus praedicatur homo naturalis illis quoque locis, quibus *σκοτία* aut *ἐν σκοτίᾳ εἶναι* dicitur. Sic habemus Joh. 1, 4. 5: *ἐν αὐτῷ (τῷ λόγῳ) ζωὴ ἦν, καὶ ἡ ζωὴ ἦν τὸ φῶς τῶν ἀνθρώπων· καὶ τὸ φῶς ἐν τῇ σκοτίᾳ φαίνει, καὶ ἡ σκοτία αὐτὸ οὐ κατέλαβεν.* Ex vitae vero notione intelligimus, quo quis sit; haec vita si constituta est alteri communicari, nuncupatur *φῶς*, lux, quia lux non propter se adest, sed ut alium illuminet [2]). Qui igitur hac luce carent, carent

---

1) Ad „ἐν τῷ Ἀδάμ" amplectimur Meyeri interpretationem: „In Adam ist es ursächlich begründet, dass Alle sterben"; omnes autem in Adamo mori dicuntur, quia omnes ex eo vitam non amplius vitalem ducunt; posterius vero „πάντες" non ita esse explicandum, ut omnes homines in Christo vivificari dicantur, apparet ex v. 23: *οἱ τοῦ Χριστοῦ*, quicunque ex Christo vitam habent vitalem, vivificabuntur in Christo, sicut quicunque ex Adamo vitam ducunt non vitalem, moriuntur.

2) Neque tamen ubique in novo Testamnto vocabulum *φῶς* id significat,

vita, quae a Deo eis communicatur aeterna; itaque sunt (spiritualiter) mortui. Sic nova Christiani vita *φῶς*, vetus hominis naturalis *σκότος* appellatur ab Apostolo 2 Cor. 6, 14, ubi, ne in propius vitae commercium cum ethnicis intrent, Corinthios admonet, quum lux, qua utantur Christiani, et tenebrae, quibus obruti sint ethnici, eodem coire nequeant [1]). — Ad quos scribit Paulus Eph. 5, 8 sqq., lectores antea erant tenebrae, nunc autem lux sunt, unde debent tales, qui sint lucis filii, sese praestare. Idem monent Apostoli et 1 Joh. 2, 8 sqq. et 1 Thess. 5, 4 sqq.

Homo naturalis, quatenus est mortuus, a Scriptura etiam *σάρξ* nuncupatur e. g. Joh. 3, 6: *τὸ γεγεννημένον ἐκ τῆς σαρκὸς σάρξ ἐστιν.* Versibus huic nostro praecedentibus novam Dominus a Nicodemo requisiverat conditionem, ut in regnum Dei intrare posset. Qua enim nunc utitur conditione, eadem est atque conditio parentum, qui *σάρξ* sunt. *Σάρξ* autem appellantur, quia naturalium hominum natura vitae divinae (aeternae) expers mortique et per mortem peccato obnoxia est. Cfr. Rom. 8, 4 sqq. et ex vetere Testamento Gen. 6, 3 בְּשַׁגַּם הוּא בָשָׂר; Job. 14, 4 מִי־יִתֵּן טָהוֹר מִטָּמֵא לֹא אֶחָד.

Vitae igitur nostrae corporalis initium simul est mortis initium; personali Dei vivificantis communione privati nascimur. Quales autem nascimur, tales sumus, tales etiam in vita nos geramus necesse est. Quicunque igitur ex Adamo provenimus, non possumus non tales nos gerere, qui communione illa Dei simus orbati, i. e. peccare: peccato sumus venditi. Ita mors, in qua et in quam nascimur, pec-

---

quod supra diximus, sed illis tantum locis, quibus de lucis effectu agitur (cf. Ps. 27, 1; Mich. 7, 8; Jes. 9, 1; 60, 1; Matth. 4, 16; Joh. 8, 12; 12, 46); sin lucis qualitas, quae omnis caliginis expers sit, in considerationem venit, lux pro imagine est candoris, sinceritatis, sanctitatis e. g. 1 Joh. 1, 5; 1 Tim. 6, 16.

1) Nostro loco duae illae significationes, quas habere statuimus vocabulum *φῶς*, confunduntur; loquitur enim Apostolus de luce, et quatenus communicatur, et quatenus candoris naturam habet. Duplici igitur ratione luci oponuntur tenebrae.

candi necessitatem secum fert [1]). Quam esse Scripturae doctrinam jam apparet ex loco Rom. 5, 12, quem supra explicuimus; cui explicationi hic adjiciendum est, vocabulum *ἥμαρτον*, quia nusquam de statu peccatis obnoxio usurpatur vocabulum *ἁμαρτάνειν*, nostro quoque loco de peccatis actualibus explicandum esse. — Eandem sententiam habemus Rom. 5, 21: *ἵνα ὥσπερ ἐβασίλευσεν ἡ ἁμαρτία ἐν τῷ θανάτῳ κτλ.* Triplici ratione hoc *ἐν τῷ θανάτῳ* interpretantur. Nonnulli dicunt, peccati imperium eo contineri, quod mortem afferat [2]). At peccatum non, quod morti tradit peccatores, regnat, sed quod homines tenet captivos et peccandi necessitati subjicit. Obstat porro haec interpretatio versibus superioribus 12—14. Postremo autem sententia „quia morti homines tradit peccatum" vix per *„ἐν τῷ θανάτῳ"* exprimi potest; adhibendum erat potius *„ἐν τῷ θανατοῦν."* Quapropter alii interpretantur „ubi mors aderat"; cui interpretationi grammatice quidem non obstat, verum, in fallor, significatio, quam habent quae ab optimis testibus vers. 17 exhibentur verba *„ἐν ἑνὶ παραπτώματι ὁ θάνατος ἐβασίλευσεν"*. Hic enim dativus *„ἐν ἑνὶ παραπτώματι"*, unde mors illud imperium exercuerit, indicat. Atque eadem quidem significatione dativum *„ἐν τῷ θανάτῳ"* puto adhibitum esse: quia mortis servitute oppressi erant homines, ita in eos regnavit peccatum, ut omnes peccarent [3]). Vocabulo *ἐβασίλευσεν* autem Apostolus, non modo hic vel illic nonnulla peccata exstitisse, perhibet, sed tale imperium exercuisse peccatum, cui resistere nemo potuerit. Itaque nostro quoque loco peccata e conditione mortis, in qua versatur homo naturalis, oriri dicuntur. — Porro habemus locum Rom. 8, 5: *οἱ γὰρ κατὰ σάρκα ὄντες τὰ τῆς*

---

1) Inde apparet, cur de morte, antequam peccandi necessitatem probaremus, dixerimus.

2) Ita e. g. Calvinus ad h. l.: „ut peccatum mortis aculeus dicitur, quia nihil adversus homines juris mors habet, nisi peccati causa, ita vim suam per mortem peccatum exsequitur: ideo dicitur imperium suum per illam exercere."

3) Apostolis opinio de mortis et peccati inter se connexu haec mihi videtur esse: *ἐν ἑνὶ παραπτώματι τοῦ Ἀδὰμ ὁ θάνατος ἐβασίλευσεν ἐπὶ πάντας· καὶ ἐν τῷ θανάτῳ ἡ ἁμαρτία.*

σαρκὸς φρονοῦσιν, οἱ δὲ κατὰ πνεῦμα τὰ τοῦ πνεύματος. Hic ex qualitate *τοῦ εἶναι* qualitatem *τοῦ φρονεῖν* (sive *περιπατεῖν* vers. 4) Apostolus derivat. Qui sunt, quales eos reddidit caro, a Spiritu divino s. Christi derelicta, tales etiam se praestant ac gerunt, sicuti e contrario ii, qui sunt, quales eos reddidit Spiritus Christi, tales etiam in vita ambulant. Quodsi homo caro est, necesse est peccet; sin Spiritu Christi regitur, hujus Spiritus fructus profert. — Atque ex ipsius Domini verbis cognoscimus, quales homines, tate quidquid agant, sive Dominus ipse mortis, in qua versatur homo naturalis, fructus esse peccata, mortem ex peccatis hominum naturalium apparere perhibet, cum dicit: *μήτι συλλέγουσιν ἀπὸ ἀκανθῶν σταφυλὴν ἢ ἀπὸ τριβόλων σῦκα; οὕτως πᾶν δένδρον ἀγαθὸν καρποὺς καλοὺς ποιεῖ, τὸ δὲ σαπρὸν δένδρον καρποὺς πονηροὺς ποιεῖ. οὐ δύναται δένδρον ἀγαθὸν καρποὺς πονηροὺς ποιεῖν, οὐδὲ δένδρον σαπρὸν καρποὺς καλοὺς ποιεῖν* (Matth. 7, 16 — 18); et: *γεννήματα ἐχιδνῶν, πῶς δύνασθε ἀγαθὰ λαλεῖν πονηροὶ ὄντες; ἐκ γὰρ τοῦ περισσεύματος τῆς καρδίας τὸ στόμα λαλεῖ. ὁ ἀγαθὸς ἄνθρωπος ἐκ τοῦ ἀγαθοῦ θησαυροῦ ἐκβάλλει ἀγαθά, καὶ ὁ πονηρὸς ἄνθρωπος ἐκ τοῦ πονηροῦ θησαυροῦ ἐκβάλλει πονηρά* (Matth. 12, 34, 35). — Jam si ex mortis conditione, qua utitur homo naturalis, peccata sua sponte oriri constat, necessarium non videtur fusius probare, homines etiam revera et peccasse et peccare, quippe quod probetur et tota Scriptura et uniuscujusque hominis conscientia.

Sicut autem mortis conditione, in qua versatur, homo naturalis peccato obstrictus est, i t a e t i a m, q u i a j a m h a c i n v i t a r e v e r a (s p i r i t u a l i t e r) m o r t u u s e s t, a D i a b o l o s e r v i t u t e o p p r e s s u s t e n e t u r. Est enim Diabolus *ὁ τὸ κράτος ἔχων τοῦ θανάτου* (Hebr. 2, 14). Vocabulum *κράτος* aut est: v i s, r o b u r q u o d a l i c u i i n e s t, aut: p o t e s t a s, d o m i n i u m i n a l i q u i d. Qui hoc loco priorem significationem vocabulo *κράτος* tribuunt, genitivum *τοῦ θανάτου* genitivum subjectivum esse statuunt atque Autoris opinionem hanc esse putant: illam potestatem, quam in homines habeat mors, penes Diabolum esse, qui eam pro libidine exerceat. Ita E b r a r d ad h. l. Quae tamen interpretatio difficilis est intellectu; quid sibi vult sententia: Diabolum habere potestatem in potestatem, quam

exerceat mors? Studet quidem Ebrard hanc interpretationem explanare, quum dicit: „Der Füst der Finsterniss ist es, der die Gewalt, die der Tod über uns übt, in seinen Händen hält; der die Gewalt des inneren Todes, der Sünde, gebraucht, den Menschen zu seinem Werkzeug zu machen; der die Gewalt des leiblichen Todes gebraucht, Tod und Mord und Verderben zu verbreiten; der die Gewalt der Schuld gebraucht, uns zu verklagen, vor Gott und vor allem vor uns selbst, die Ruhe uns zu rauben, die Hoffnung auf Möglichkeit der Gnade in uns zu ersticken etc.“ Nemo autem non videt id potius ab Ebrardo probari, Diabolum, ubi mors adsit, potestatem suam exercere, quam Diabolum habere potestatem mortis in homines potestatis. Idcirco adscribimus vocabulo *κράτος* alteram significationem potestatis in aliquid, Diabolumque eum dictum esse putamus, qui potestatem habeat in mortem. Ita vero iterum duplici modo interpretari possumus locum illum: aut ita, ut Diabolus morti imperet eaque uti possit, quemadmodum velit i. e. morte hunc illumve afficere possit; aut ita, ut illic potestatem suam exercere possit, ubi mors adsit i. e. quod illic, ubi adsit mors, pro libidine agere possit. Priori tamen interpretationi obstat, quod mors spiritualis jam non imminet homini naturali, sed adest; mors autem corporalis sua sponte ex morte spirituali oritur; tempus tandem, quo incidit mors corporalis, magis a Deo quam a Satana constituitur. Itaque praeferenda videtur interpretatio genitivi *τοῦ θανάτου* altera, ita ut Auctoris, quum Diabolum dicit *τὸν τὸ κράτος ἔχοντα τοῦ θανάτου*, significet, homines, qui, cum vita aeterna careant, mortui sint, sub Diabolo esse. — Hominem naturalem Diaboli imperio et arbitrio subjectum esse, Paulus quoque apostolus profert, ubi Agrippae regi narrat, a Domino ad gentes missum se esse *τοῦ ἐπιστρέψαι (τὰ ἔθνη) ἀπὸ σκότους εἰς φῶς καὶ τῆς ἐξουσίας τοῦ σατανᾶ ἐπὶ τὸν θεόν* (act. 26, 18). Quae hoc loco de gentibus solis dicit Apostolus, eadem aliis locis praedicat etiam de Israëlitis. Scribit enim ad Ephesios (cap. 2, 2. 3), et ipsos, qui erant Christiani ex gentibus, et Israelitas aliquando in peccatis ambullasse secundum aevum hujus mundi, secundum principem imperii aeris, Spiritus nunc agentis in filiis inobedientiae. Difficilis hic locus hunc for-

tasse in modum explicandus est: *ὁ ἄρχων* is dicitur, qui imperium habet in aliquem sive in terram quandam; id autem, cui imperat, hoc loco *ἐξουσία* (Machtgebiet) [1]) appellatur; quae sit haec *ἐξουσία*, indicatur adjecto genitivo epexegetico *τοῦ ἀέρος* [2]), atque sententia verborum „*ὁ ἄρχων τῆς ἐξουσίας τοῦ ἀέρος*" haec est: Diabolum, ubicunque sit aer et in omnes, quicunque quo vivant opus habeant aere, imperium exercere. Apostolus postquam verbis „*τῆς ἐξουσίας τ. ἀ.*" quasi fines imperii Satanae circumscripsit, jam per „*τοῦ πνεύματος τοῦ νῦν ἐνεργοῦντος ἐν τοῖς υἱοῖς τῆς ἀπειθείας*" — qui genitivus *τοῦ πν. τ. ν. ἐ. ἐ. τ. υ. τ. ἀ.* appositionem affert ad „*τῆς ἐξουσίας τ. ἀ.*" — qui fiat, ut sit imperii illius princeps, indicat: ita quidem, quod est princeps Spiritus, qui nunc agit in filiis inobedientiae. Verbo „*πνεῦμα*" omnes illae Facultates et Potestates spirituales comprehenduntur, quibus Malus operatur in mundo, ita ut iure conferamus illud ejusdem Apostoli: *τὸ πνεῦμα τοῦ κόσμου* (1 Cor. 2, 12). Hic Spiritus per „*νῦν*" opponitur Spiritui Christi, qui jam operatur in Ephesiis, postquam *υἱοὶ τῆς ἀπειθείας* esse desiverunt et *υἱοὶ τῆς πίστεως* facti sunt. Itaque ex hoc quoque Scripturae loco discimus, hominem subiectum esse potestati Diaboli, qui ubicunque novae vitae, quam nobis attulerit Christus, principium non sit, imperium exerceat [3]). — Omnino in omnibus illis locis hominem natura sub Diabolo esse sumitur, ubi Diabolus nominatur *ὁ ἄρχων τοῦ κόσμου τούτυ* (Joh. 12, 31; 14, 30; 16, 11) aut *ὁ θεὸς τοῦ αἰῶνας τούτου* (2 Cor. 4, 4).

Quodsi jam constat, hominem naturalem sub Diaboli esse potestate, explorandum est, q u o m o d o h o c d o m i n i u m S a t a n a s e x e r c e a t. Ac primo quidem tenendum est, Diabolum in homine tantum quatenus sit creatura irresistibiliter posse operari; quatenus enim homo est persona, liber est. Quum

---

1) Sic etiam Luc. 23, 7 Galilaea appellatur *ἡ ἐξουσία Ἡρῴδου*.

2) Sicuti nos quoque similiter dicere possumus „ein Fürst im Reich der Geister."

3) Huc spectat etiam Col. 1, 13: *ὃς ἐῤῥύσατο ἡμᾶς ἐκ τῆς ἐξουσίας τοῦ σκότους, καὶ μετέστησεν εἰς τὴν βασίλειαν τοῦ υἱοῦ τῆς ἀγάπης αὐτοῦ*.

vero jam inde a puero libertas ejus vendita sit carni, ut agat quae carnis sunt, ita quoque Diabolus in homine operari potest, ut ad hoc vel illud peccatum inducat. Itaque variis Diabolus malis et incommodis hominem afficit, nec non ad hoc vel illud peccatum eum incitat. Haec quoque Scripturae doctrina. Jobum pium gravissimo morbo vexavit Satanas (Job. 2, 3 — 7). — Mulierem, duodeviginti annos incurvatam, Domino teste, ligaverat Diabolus (Luc. 13, 16; cf. Act. 10, 38). — Incestum illum Corinthiacum Apostolus tradit Diabolo, cujus perdat carnem (1 Cor. 5, 5; cf. 1 Tim. 1, 20). — Paulus quod semel et bis impeditus fuerit, quominus Thessalonicences videret, Satanae adscribit (1 Thess. 2, 18). — Diabolus effecit, ut Smyrnenses multis calamitatibus vexarentur. (Apoc. 2, 10). — Speciali modo operatur Diabolus per angelos suos, *τὰ δαιμόνια*, in aegrotis illis, qui vocantur daemoniaci (Matth. 8, 28 — 34; 9, 32—34; 15, 21—28; Marc. 9, 14—29 Luc. 11, 14 sqq. etc. — cf. Luc. 13, 11). — — Quia autem homines etiam ad peccandum inducit Diabolus, nuncupatur *ὁ πλανῶν τὴν οἰκουμένην ὅλην* (Apoc. 12, 9). — Irritavit Davidem, ut Israelitas recensendo vindictam Jehovae provocaret (1 Par. 21, 1; cf. 2 Sam. 24, 1). — Intravit in cor Judae, ut Dominum proderet (Luc. 22, 3 — 6). — Implevit cor Ananiae, ut Spiritum sanctum mendaciis fallere conaretur (Act. 5, 3). — Quae exempla multis Apostolorum admonitionibus, ut a Satana caveant Christiani, augeri possunt: Eph. 6, 11; 1 Petr. 5, 8; Jacob. 4, 7; 1 Tim. 4, 1 cet. — Jam intelligimus, quid velit Dominus, ubi Judaeis dicit: *ὑμεῖς ἐκ τοῦ πατρὸς τοῦ διαβόλου ἐστὲ καὶ τὰς ἐπιθυμίας τοῦ πατρὸς ὑμῶν θέλετε ποιεῖν· ἐκεῖνος ἀνθρωποκτόνος ἦν ἀπ' ἀρχῆς καὶ ἐν τῇ ἀληθείᾳ οὐχ ἕστηκεν, ὅτι οὐκ ἔστιν ἀλήθεια ἐν αὐτῷ. ὅταν λαλῇ τὸ ψεῦδος, ἐκ τῶν ἰδίων λαλεῖ, ὅτι ψεύστης ἐστὶν καὶ ὁ πατὴρ αὐτοῦ* (Joh. 8, 44). Judaei quia tales, quales sunt, ex Diabolo sunt; quia Diabolus in eis operatur, quod vult: Dominum interficere student neque Domini verba, quae sunt veritas ipsa, audire volunt. Nam Diabolus ipse quoque inde ab initio morti tradidit homines et a veritate alienus est. — Eodem modo legimus 1 Joh. 3, 8: *ὁ ποιῶν τὴν ἁμαρτίαν ἐκ τοῦ διαβόλου ἐστίν, ὅτι ἀπ' ἀρχῆς ὁ διάβολος ἁμαρτάνει.* Intimus quidam

nexus causalis intercedit inter Diabolum et hominem peccantem, ac talis quidem qualis inter parentes et liberos. Scite igitur ad sententiam Bengelius: „ab initio peccavit, et omnium peccatorum causa est, et adhuc peccat: peccat, (cumulatiore indies reatu,) et ad peccandum inducit. Numquam satiatur", et Calvinus: „Sicuti prius non de sola Christi persona loquebatur, quum dicebat esse justum, sed illum statuebat fontem et causam justitiae; ita nunc, quum Diabolum peccare dicit, comprehendit totum ejus corpus, hoc est, reprobos omnes, acsi diceret, hoc Diabolo proprium esse, ut ad peccandum impellat."

Quodsi tanta est mortis, peccati, Diaboli potestas in hominem, ut non possit non peccare: — nonne omnis ei erepta est libertas? Nonne homo desinit esse persona? Non est erepta illa libertas, quae personae competit, sed in servitutem tristissimam est redacta. Hoc inde cognoscimus, quod homo redimi ac redintegrari potest, nec non quod Deus ei dedit conscientiam, quae tantum personae est. Conscientia enim Deus per Spiritum suum homini indicat, qualis sit, qualem eum velit esse, quid operari, quid ommittere debeat. Sic bene mihi videtur dixisse, Harless [1]): „das Gewissen ist nicht Substanz, sondern actuelles Wechselverhältniss Gottes mit dem menschlichen Geiste und umgekehrt. Und das ist der Grund, warum wir nicht blos sagen können, das Gewissen ist der Geist, sondern müssen die „„Gedanken unseres Herzens"" (Röm. 2, 15) von dem unterscheiden, was das Gewissen seinem Wesen nach ist. Denn seinem Wesen nach ist es nicht die im Herzen erzeugte Wirkung, oder das „„Werk des Gesetzes geschrieben in unsere Herzen"" (Röm. 2, 15), sondern es ist seinem Wesen nach eine immer wirksame Bethätigung Gottes an unserem Geiste." Haec etiam est Scripturae doctrina. Conscientia enim docemur, quae sint opera legis Dei, quid sit, quod exigat Deus a nobis. Talis vero testis cum sit conscientia, cogitationes nostrae ipsae accusando et excusando inter se indicant, Dei voluntatem sibi nequaquam esse occultam (Rom. 2, 15). Est igitur conscientiae judicium de operibus, quae patrat homo ita, ut indicet homini, opera,

1) Christliche Ethik, ed. 5, pag. 49.

quae patraverit, esse mortua, et a morte profecta, et ad mortem eum perductura (Hebr. 9, 14). Qui igitur pecccat, notam inurit conscientiae i. e. ita agit in conscientiam, ut dolore eum afficiat (1. Tim. 4, 2) [1]). Quodsi homo peccat, scit, contra Dei voluntatem se agere ideoque culpam contrahere coram Deo, mortem, peccati effectum et poenam, sibi adsciscere. Sic mors etiam post lapsum est merces, qnam peccando sibi meretur homo. Ita de peccato morteque persaepe Scripturam, quippe quae ad homines morales i. e. conscientia praeditos se convertat, disputare invenimus. Scribit enim Paulus ad Romanos (cap. 6, 20 sqq.): quum servitute peccati tenerentur, tales eos fructus protulisse, quorum eos nunc puderet; finis enim eorum erat mors i. e. mortem hi fructus illis, qui eos ferebant, adduxerunt; mortem enim peccatum homini profert. Qua de causa *ἁμαρτία* dicitur esse *κατεργαζομένη θάνατον* (Rom. 7, 13). Simtliter dicit idem Apostolus: *τὸ φρόνημα τῆς σαρκὸς θάνατος* (Rom. 8, 6) [2]) et Jacobus: *ἡ ἁμαρτία ἀποτελεσθεῖσα ἀποκύει θάνατον* (Jac. 1, 15; cf. Rom. 6, 21) [3]).

---

1) Ascribimus autem conscientiae non modo testis ac judicis partes, sed putamus etiam per Spiritum, in conscientia efficacem, Deum in hominibus effecisse, ut non plane Diabolo parerent, sed honesta quoque facerent; quapropter Deus serio a gentibus postulare poterat, ut ipsum quaererent (Act. 17, 27).

2) Verbum *φρονεῖν* continet omnes animi sensus et affectus, siquidem se dirigunt in objectum quoddam; substantivum *φρόνημα* significat id, quod *τῷ φρονεῖν* efficitur (das Resultat des *φρονεῖν*) i. e. animi inclinationem in aliquid; unde Apostolus noster: animi quasi inclinatio, quae carni inest, spectat ad mortem, caro tendit in mortem, sive: actiones hominis naturalis, qui, cum *σάρξ* sit, peccato obnoxius est, non possunt non parere mortem.

3) „Peccatum, quando ad finem pervenit i. e. quando patratum est, gignit mortem.“ Totius versus sententia haec est: concupiscentia, si invenerit objectum, cui, homine indulgente, adhaereat, peccatum parit, quo parto culpam contrahit; peccatum autem, quum sit commissum, in mortem, a qua per Christum jam ereptus est, Christianum iterum detrudit. Injuria hic locus pro opinione sua: „concupiscentiam hominis per se nihil esse mali neque reatum coram Deo efficere“ a Papistis saepe citatur. Loquitur enim Autor ad Christianos,

Quaecumque fere hucusque de statu hominis naturalis scripsimus, ea comprehendit Apostolus verbis illis: *ὁ νόμος τοῦ πνεύματος τῆς ζωῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ ἐλευθέρωσέν με ἀπὸ τοῦ νόμου τῆς ἁμαρτίας καὶ τοῦ θανάτου* (Rom. 8, 2). Priore hujus versus parte, quippe quae huc non pertineat, ommissa, ad posteriorem nos vertamus, et quis sit ille *νόμος τῆς ἁμαρτίας καὶ τοῦ θανάτου* videamus. De lege Mosaica Paulum hic non loqui, non est, quod pluribus probemus. Hanc enim appellat sanctam (Rom. 7, 12). Illum potius locum nobis in memoriam revocemus, ubi de lege peccati in membris loquitur, Rom. 7, 23. Quid vero est lex? Omnis norma, quam sequi, ad quam instituere vitam oportet quicunque ei est subjectus. Lex igitur est ea potestas, per quam is qui legem dedit, in eos dominatur, qui legi sunt subjecti. Legem vero, qua in Christo Jesu se liberatum pronuntiat Apostolus, peccati et mortis legem nuncupat. Peccatum enim et mors praescripserant normam illam, ad quam instituere oportebat vitam, cui erat subjectus. Quamdiu igitur Christum nondum noverat, peccati et mortis servitute tenebatur. Nostro quidem loco inter legem mortis et legem peccati non discernit; qui enim huic legi subjectus est, et illi sit subjectus necesse est; qui illi, etiam huic: una continetur altera, donec Spiritus Christi apparet liberator.

Haec fere sacrae Scripturae de naturali hominis conditione doctrina nobis videtur esse, quam si uno verbo comprehenderimus, dicendum erit: homo naturalis, quamquam a Deo in vitam animalem vocatus et ad ipsum (Deum) cognoscendum destinatus neque Dei testimonio per Spiritum sanctum in conscientia privatus est, servitute tamen a morte, peccato, Diabolo suppressus tenetur, nec non culpae ac poenae est abnoxius [1]).

Naturalis igitur hominis conditionis, quippe quae ex Scriptura talis sit, qualem iam esse exposuimus, lucutentissime apparet, immutationem necessariam esse plenam atque absolutam,

---

quibus jam per baptismum et propter fidem condonata est culpa, ex statu peccati originalis eis exorta.

1) De culpa hominis ac poena non fusius egimus, quia de regeneratione, non de justificatione scribere nobis propositum est.

ut homo denuo sit talis, qualem eum Deus velit esse. Quum sit vita divina vere vitali privatus ideoque mortuus, vitam illam divinam redipisci; quum peccandi necessitati obnoxius sit, hac necessitate liberari; quum Diaboli dominio subditus sit, hac servitute excipi eum necesse est.

Cap. II.

De naturalis conditionis immutatione.

Sect. I. Immutatio ipsa in universum spectata.

Homo ex se ipso et per se ipsum novam vitam recuperare non posse, liquet jam ex indole hominis, quippe qui primo sit creatura, et tunc demum persona. Neque tamen ad hanc hominis indolem nobis recurrendum est, ut hominem in novam vitam ipsum se restituere non posse, probemns. Continetur enim ipsa conditione, qua nunc utitur homo naturalis. Mortuum Scriptura hominem dicit: quomodo autem mors vitam ex se gignere potest? Tenebris obvolutus est homo: quomodo tenebrae per se lux fieri possunt? Quis hominem fortiorem praedicare audeat Diabolo, cujus in servitutem est redactus? Aliunde igitur necesse est homini contingat vita, per alium tenebris lux afferatur.

Quis autem naturalem illam conditionem immutare novamque homini vitam donare potest nisi Deus, cujus creaturae sunt homines, et qui. ut e potestate tenebrarum eos liberaret sibique denuo conjungeret, ne unico quidem filio, quamvis dilectissimo, pepercit, sed mundo et morti eum tradidit? Dei igitur Christique est, in novam vitam hominem restituere. Quod homo per se praestare nequit, id a Deo ei donatur. Unde Dominus: Omnis planta, inquit, quam non plantaverit Pater ille meus coelestis, eradicabitur (Matth. 15, 13). — Verbum, quod est lux hominum, lucet in tenebris, illustrat omnem hominem (Joh. 1, 5. 9). — Quicunque Verbum luciferum receperint, his dedit potestatem, ut filii Dei fierent, siquidem in nomen ipsius crederent, qui non ex sanguine, neque ex libidine carnis, neque ex libidine viri, sed ex Deo geniti sunt (Joh, 1, 12. 13). Tantum

igitur abest, ut homo possit per se fieri filius Dei, ut per Christum fiat; neque originem, ut filius Dei, ducit a se ipso aut ab aliis hominibus, sed a Deo. — Hominem Dei filium se non ipsum facere, sed fieri, jam ex vocabulis *γεννᾶν*, *ἀναγεννᾶν*, *ἀποκυεῖν*, quae, si de hominis immutatione sermo est, saepissime adhibentur, apparet (Joh. 3, 3—8; Jac. 1, 18; 1 Petr. 1, 3. 23—25; 1 Joh. 2, 29; 3, 9; 4, 7; 5, 1. 4. 18 et alias). — Mulieri Samaritanae Dominus dicit (Joh. 4, 10 seqq.), se dare aquam vividam, qua quid efficiatur his verbis exponit: *ὃς δ' ἂν πίῃ ἐκ τοῦ ὕδατος οὗ ἐγὼ δώσω αὐτῷ, οὐ μὴ διψήσει εἰς τὸν αἰῶνα, ἀλλὰ τὸ ὕδωρ ὃ δώσω αὐτῷ γενήσεται ἐν αὐτῷ πηγὴ ὕδατος ἁλλομένου εἰς ζωὴν αἰώνιον.* Homo igitur, qui siti tabescit, imago est hominis naturalis, vitâ vere divinâ destituti, cui ut in vitam restituatur, id oportet donari, quod vitam redintegret i. e. Spiritum Christi, qui novam in homine vitam inchoet. Id igitur, quod vitam suam restituit, neque ex se habet homo neque a mundo, sed a solo Domino [1]). — Sicut Pater suscitat mortuos et vivificat, ita et Filius, quos vult, vivificat (Joh. 5, 21). — Omnino Christus appellatur *ὁ ἀρχηγός τῆς σωτηρίας*, auctor salutis (Act. 3, 15). *Ἀρχηγός* is est, qui alios praeit, ducit; hac significatione usurpatum invenimus vocabulam nostram Act. 5, 31; Hebr. 2, 10 (cf. vocem „*πρόδρομος*" Hebr. 6, 20). Quia autem sequi nemo potest, nisi quis praeierit, vocabuli „*ἀρχηγός*" etiam autoris vis est, qua quidem notione saepe apud scriptores classicos atque etiam nostro loco et Hebr. 12, 2 usurpatum videtur. — Quum vero longum sit, omnes Scripturae locos, quibus Deus, non homo ipse aut alius quidam hominum verae vitae sive regenerationis auctor dicitur, fusius interpretari, suf-

---

1) Rejectis igitur omnibus illis interpretationibus, quae nimis definite, quid sit illud *ὕδωρ ζῶν* indicare student, ita ut, aut verbum aut fidem aut ejusmodi aliquid esse statuant, illos sequimur viros doctos, qui et ipsi magis minusve universe verbis „*ὕδωρ ζῶν*" putant Jesum Christum sive vitam ejus significari (Besser ad h. l.), aut Spiritum Christi (Luthardt), aut beneficia spiritualia (Vinke, het evangelie van Joh. ed. 2 ad h. l.), aut venam illam, ex qua derivanda sit fides, sanctitas, beatitudo (Bengel).

ficiet, nonnullos commemorare tantum: Jac. 1, 18; 1 Joh. 3, 1. 2; 4, 4. 5. 6. 9; 5, 11. 12. 13. 19. 20; Rom. 8, 30; 1 Cor. 1, 9. 21; Eph. 2, 5. 10; Phil. 1, 6; 3, 12. 13; Col. 1, 13; 2, 13; 1 Tim. 6, 13; Tit. 3, 5.

At huic nostrae opinioni, adversari videtur illud Apostoli ad Corinthios scribentis: *ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ διὰ τοῦ εὐαγγελίου ἐγὼ ὑμᾶς ἐγέννησα* (1 Cor. 4, 15)? Minime vero. Neque enim quidquam aliud Apostolus hoc loco defendit, nisi se, neque vero alium quemquem evangelium, quo Deus regenerationem Corinthiorum effecerit, eis nuntiavisse. Idem est atque quod alias (1 Cor. 3, 6. 7) dicit: *ἐγὼ ἐφύτευσα, — ἀλλὰ ὁ θεὸς ηὔξανεν· ὥστε οὔτε φυτεύων ἔστιν τι — ἀλλ' ὁ αὐξάνων θεός*, aut (Gal. 4, 19) *τεκνία μου, οὓς πάλιν ὠδίνω ἄχρις οὗ μορφωθῇ Χριστὸς ἐν ὑμῖν* [1]). Qua igitur sententia Paulus se nuncupat regeneratorem, eadem ab ecclesia quoque sive ecclesiae doctoribus homines regenerari recte dicuntur.

Solus igitur Deus hominis conditionem naturalem immutat. Jam vero nobis videndum est, quibus verbis sacra Scriptura immutationem illam depingat, simulque quae vis illis verbis insit.

Ac primum quidem Scriptura hominis conditionem naturalem ita immutari docet [2]), ut divinum quoddam semen vivificans ac fecundans homini communicetur, unde illae parabolae, quibus regnum Dei cum semine in agrum (mundi) sparso comparatur, Marc. 4, 26—29; Matth. 13, 31—33. — Magis vero huc pertinet parabola, quam de seminatore legimus Matth. 13, 1—23 parall. Inde enim hominem nullos proferre posse fructus, Deo acceptos, cognoscimus, antequam verbi divini semen in se receperit; divino igitur semine opus est, ut homo, qui per se ager inutilis est, fructuosus reddatur i. e. con-

---

1) Bene Calvinus ad Jac. 1, 18: „Praeterea hinc (ex Jac. 1, 18) discimus, proprium esse Dei officium, spiritualiter nos gignere. Nam quod idem ascribi interdum videtur Evangelii ministris, non aliter valet, nisi quia per illos agit Deus; et fit quidem per illos, ut solus nihilominus agat.“

2) Cf. Luther's „die erste Epistel S. Peters ausgelegt“; ed. Erl., tom. 52, pag. 60.

ditio ejus immutetur. — Diserte autem, semen divinum homini per regenerationem inseri, dictum est, 1 Petr. 1, 22 sqq. et 1 Joh. 3, 9. Priore loco Apostolus lectores admonet, ut, quum animas ad amorem fraternum mundaverint, ex corde unus alterum ament enixe, quippe qui regenerati sint non ex semine corruptibili [1]) sed incorruptibili per sermonem Dei vivum [2]) et manentem. Quae cum verbis „*ἐκ καρδίας ἀλλήλους ἀγαπήσατε ἐκτενῶς*" conjuncta est propositio participialis „*τὰς ψυχὰς ὑμῶν — ἀνυπόκριτον*", indicat, quid ad mutuam caritatem eos obstringat, mundatio cordium ad amorem fraternum non fictum. Quum obedientia veritati praestita animas mundarint omnesque maculas, quae mutuae caritati obstabant, deleverint, ita ut amorem fraternum praestare possint et, quoniam possunt, debeant: necesse est, ne inanis sit haec mundatio, ex animo unus alterum amet. Tam vero enixe [3]) possunt inter se amare, quia regenerati sunt ex semine non corruptibili sed incorruptibili; enixe possunt amare, quia ex incorruptibili semine regenerati sunt, per verbum Dei vivens et manens. Ex semine autem non corruptibili, sed incorruptibili propterea sunt generati, quod per verbum Dei vivens ac manens altera illa vita donati sunt; nam iterum si ex carne provenissent, iterum de iis idem dicendum esset, quod de carne Propheta (Jes. 40, 6—8): omnis caro est ut gramen et omnis gloria ejus ut flos graminis: exaruit gramen et flos ejus decidit; quum vero sint generati per verbum Dei, sunt regenerati per id verbum, de quo idem Propheta: verbum Dei manet in aeternum. Dei autem verbum eis nunciatum est, Dei verbo et regenerati sunt. Ex incorruptibili igitur semine sunt regenerati. Jam animum adverte ad discrimen, quod intercedit inter praepositiones *ἐκ* (versu 23: *ἐκ σπορᾶς κτλ.*) et *διὰ* (eodem versu: *διὰ λόγου ζῶντος κτλ.*): praepositione enim *ἐκ* indicatur, unde originem trahant; *διὰ* vero praepositio demonstrat, qui haec origo eis contigerit. Haec igitur est enunciationis hujus sententia: quoniam verbum Dei, quod re vera

---

1) *Σπορά* primum est satio, deinde semen.

2) Genitivos *ζῶντος* et *μένοντος* ad *λόγου*, non ad *θεοῦ* pertinere e contextu liquet.

3) Ad *ἐκτενῶς* cf. cap. 4, 8; Act. 12, 5; 26, 7.

vivit neque umquam perit, receperunt, regenerati sunt ex semine incorruptibili. Qui vero est verbo Dei illa potestas sic regenerandi? Diserte quidem his versibus non est dictum; infra tamen in causa esse cognoscemus illam cum verbo Dei Spiritûs Dei inseparabilem conjunctionem, cf. Joh. 6, 63: *τὸ πνεῦμά ἐστιν τὸ ζωοποιοῦν, ἡ σὰρξ οὐκ ὠφελεῖ οὐδέν· τὰ ῥήματα, ἃ ἐγὼ λελάληκα ὑμῖν, πνεῦμά ἐστιν καὶ ζωή ἐστιν.* — Loco 1 Joh. 3, 9 Apostolus lectores ne peccent, admonet: quisquis natus est ex Deo, peccato non dat operam, quoniam semen ipsius in eo manet: nec potest peccare, propterea quod ex Deo natus est. Pronomen *αὐτοῦ* ad „*ἐκ τοῦ θεοῦ*" spectat; vocabula „*ἐν αὐτῷ*" vero ad „*πᾶς ὁ γεγεννημένος*" referenda sunt. Quicunque igitur ex Deo natus est, is non peccat, quoniam semen Dei, per quod homo ex Deo generatus est, i. e. Spiritus Dei in eo manet, ita ut a peccato eum arceat; neque potest peccare, quoniam, cum ex Deo natus sit, eadem conditione morali utitur, qua Deus ipse, ita ut peccato sit alienissimus; cf. 2 Petr. 1, 4: *ἵνα — γένησθε θείας κοινωνοὶ φύσεως, ἀποφυγόντες τῆς ἐν κόσμῳ ἐν ἐπιθυμίᾳ φθορᾶς.*

His igitur sacrae Scripturae locis tractatis, jure nobis videmur quaerere, cur Deus, cum conditionem hominis immutat et innovat, hominem dicatur generare s. regenerare. Hoc vero ut exprimat, Scriptura utitur vocabulis: *γεννᾶν, ἀναγεννᾶν, ἀποκυεῖν.* Vocabulum *γεννᾶν* apud scriptores classicos plerumque vi gignendi (de patre), rarius pariendi (de matre) utitur; in novo vero Testamento posteriore notione saepius videtur usurpatum esse (Matth. 2, 1. 4; Luc. 1, 13. 57; Joh. 9, 2. 19. 20. 32; 16, 21; 18, 37 al.), quam priore (Matth. 1, 2 sqq.; Act. 7, 8. 29 al.). Ne tamen, ubi de regeneratione sermo est, vocabulo *γεννᾶν* significationem gignendi (de patre) ascribamus, impedimur vel usu vocabuli *ἀποκυεῖν.* Vocabulum enim *κυεῖν* est: gravidam esse, parturire, parere, et, nisi fallor, ubique de muliere usurpatur; Jacobus tamen habet (cap. 1, 18): *βουληθεὶς (ὁ πατὴρ τῶν φώτων) ἀπεκύησεν ἡμᾶς.* Ambigua vero notione est secundum nostram quidem opinionem verbum *γεννᾶν* Matth. 1, 20, ubi angelus Domini Josepho nuntiat: *τὸ ἐν αὐτῇ (Μαρίᾳ) γεννηθὲν ἐκ πνεύματός ἐστιν ἁγίου;* hic certe *γεννηθέν* non est „genitum" (das Ge-

zeugte), sed id, cui in ea et per eam vitae (humanae) datum est initium [1]). Hac sententia ambigua, ita ut sit vitae initium dare, in illis locis posita esse statuimus verba *γεννᾶν* et *ἀποκυεῖν*, ubicunque de regeneratione agitur. — Praepositio autem *ἀνά*, quacum compositum habemus verbum *γεννᾶν*, ubi cum verbis conjuncta est, significat 1) proprie: sursum e. g. *ἀναβαίνειν*; 2) tropice: sursum ad initium, unde iterum, denuo e. g. *ἀναβιοῦν*, *ἀναβιώσκειν*. Qua altera significatione utitur praepositio *ἀνά* etiam in „*ἀναγεννᾶν*", ita ut significet iterum vitae initium dare. Vitam autem illam, quae initio vivendi iterum dato efficitur, novam esse atque aliam quam priorem, e locorum contextu ubique apparet. — Eandem fere vim, quam *ἀναγεννᾶσθαι*, habet vox „*ἄνωθεν γεννηθῆναι*" Joh. 3, 3. Ac primum quidem vocabulum *ἄνωθεν* significat desuper; hinc factum est, ut plurimi virorum doctorum nostro quoque loco *ἄνωθεν* sensu desuper, quod hic idem significet quam *οὐρανόθεν*, adhibitum esse credant, sicut Joh. 3, 31; 19, 11. 23; Matth. 27, 51; Marc. 15, 38; Jac. 1, 17; 3, 15. 17; quam quidem opinionem ut tueantur, provocant ad illud „*ἐκ θεοῦ γεννᾶσθαι*", quod ab Johanne nonnumquam usurpatur: 1 Joh. 4, 7; 5, 1. 4. Obstat tamen huic interpretationi primum, quod Nicodemo illud Domini „*ἐὰν μή τις γεννηθῇ ἄνωθεν*" interpretandum videbatur de generatione nova, non coelesti, ita ut Dominus eum non vituperandum aut corrigendum putaret, sed potius, qua ratione haec altera generatio fieret, Pharisaeo demonstraret. Deinde autem Dominus, cum Pharisaeo Hierosolymis collocutus, certe lingua Hebraea aut Aramaica usus est; illis autem in linguis nullum vocabulum reperitur, quod eandem habeat significationem atque desuper, idemque sensu „denuo, iterum" intelligi potuerit [2]). Alia igitur vocabuli *ἄνωθεν* interpretatio quaerenda est. Luc. 1, 3 et Act. 26, 5 *ἄνωθεν* habet significationem „inde ab initio"; priore loco dicit Autor, se totam seriem eorum, quae tempore ipsius impleta essent, inde ab initio mente persecutum esse; posteriore Paulus,

---

1) Lutherus: „das in ihr geboren ist."

2) Cf. Luthardt, das Johanneische Evangelium I, pg. 370. 371; Stier, die Reden des Herrn Jesu, ed. 2. IV, pg. 20 sqq.

se (totam suam vitam) inde ab initio Judaeis notum esse, contendit. Paullo diversa vocabuli *ἄνωθεν* vis est Gal. 4, 9: *οἷς πάλιν ἄνωθεν δουλεύειν θέλετε;* vocabulo *πάλιν* Apostolus in memoriam Galatibus revocat, jam antea ipsos elementis infirmis et egenis serviisse; adverbio „*ἄνωθεν*" defendit, novo opus esse initio, illis si iterum voluerint servire [1]). Eandem vim „denuo" (quo novum fieri initium necessarium esse indicatur) vocabulum *ἄνωθεν* hoc quoque loco habet, ita ut *ἄνωθεν γεννηθῆναι* idem fere sit, quod *ἀναγεννηθῆναι;* utitur autem Dominus vocem *γεννηθῆναι ἄνωθεν,* ut generationis iterationem, novitatem vitae maxime efferat. Itaque omnibus his vocabulis: *γεννηθῆναι, ἀναγεννηθῆναι, ἀποκυεῖσθαι, γεννηθῆναι ἄνωθεν* a Scriptura homo significatur regeneratione novum vitae initium accipere. Quae quum sit Scripturae sententia, non est mirandum, quod Dominus Discipulis de principatu inter se altercantibus dicit: nisi fierent sicut infantes, eos non esse intraturos in regnum coelorum [2]). Flagitat hic ab Apostolis Servator, ut retro se vertant ad vitae initium, ut sese humilient, donec similes sint infantibus [3]), qui quidem non sunt insontes, sed, ut ita dicam, nihil sunt, sola fere recipiendi facultate praediti, fidemque habent ei, qui ipsis aliquid dederit. Hoc vero Dominus a Discipulis postulat, quoniam is, qui vult intrare in regnum Dei, nihil per se habere, sed, quidquid habet, Deo acceptum referre, Deo credere debet.

Quibus cum locis illi proxime cohaerent, quibus regeneratio vivificatio hominis nuncupatur. Quum de Joh. 5, 21 sqq. infra sit agendum, statim ad Joh. 6 animum advertamus. Sed, cum fusius hunc locum hic explicare non possimus, satis habebimus indicasse, quae nobis quidem orationis illius multum vexatae fundamenta esse videantur. Adhortatur autem Dominus Judaeos, ut id faciant, quod Deo placeat (*τὸ ἔργον τοῦ θεοῦ*) et quo vitam aeternam nanciscantur, i. e. ut credant,

---

1) Ad hunc vocabuli *ἄνωθεν* usum cf. Winer, Pauli ad Galatas epistola, ed. 3. pg. 101; cum Winero tamen, qui tautologiam hic esse statuit, consentire non possum.

2) Matth. 18, 1 sqq.; 19, 13. 14; parall. Cf. Stier ad hos locos.

3) *Ἐὰν μὴ στραφῆτε καὶ γένησθε ὡς τὰ παιδία,* Matth. 18, 3.

ipsum, qui antea apud Patrem in coelo fuerit, hominem esse factum, ut hominibus det vitam. Vitam autem hominibus dare non potest, nisi antea morti tradiderit carnem suam. Quapropter, si quis vitam per eum voluerit habere, necesse est credat in ipsum, qui carnem suam dederit, sanguinem suum effuderit. Quae Servatoris dicta quum vel ex discipulis multi male intelligerent, ita ut retro se converterent, Dominus Apostolis perhibet, nihil aliud se ab hominibus exigere, nisi ut verbis suis, quae sint Spiritus et vita, credant [1]). Quemadmodum autem nostro loco, sic etiam alibi Dominus de communicatione vitae cum homine loquitur, Joh. 10, 10: *ἐγὼ ἦλθον ἵνα ζωὴν ἔχωσιν*; v. 28: *κἀγὼ ζωὴν αἰώνιον δίδωμι αὐτοῖς*; cap. 17, 2: *καθὼς ἔδωκας (ὁ πατὴρ) αὐτῷ (τῷ υἱῷ) ἐξουσίαν πάσης σαρκός, ἵνα πᾶν ὃ δέδωκας αὐτῷ δώσῃ αὐτοῖς ζωὴν αἰώνιον.* — Aliis duobus locis vocabulum vivificandi ipsum adhibetur: Eph. 2, 5 et Col. 2, 13; utroque loco Apostolus interiorem hominis regenerati vivificationem factum esse dicit cum Christo, „*συνεζωοποίησεν τῷ Χριστῷ*“; quae vox „*συνεζ. τ. Χ.*“ secundum rei naturam aliter intelligi non potest nisi ita, ut Deum nobiscum vitam illam, qua utitur Christus, e mortuis resuscitatus, communicasse [2]) significet.

---

1) Optime igitur Form. Conc. pg. 743. 744 nobis hujus capitis sententiam explicuisse videtur; neque sunt omittenda, quae ad Joh. 6 adnotavit Baur, kritische Untersuchungen über die kanonischen Evangelien, pg. 159. 160.

2) Ad „*συνεζωοποίησεν τῷ Χριστῷ* cf. Gal. 2, 20: *Χριστῷ συνεσταύρωμαι* = in communionem intravi cum Christo, quatenus cruci est affixus. — Harless in commentario suo pag. 183. 184 perhibet, Apostolum Eph. 2, 5. 6 non de iis, quae in homine regenerando fiant, loqui, sed de eo, ad quod credentes, quia Christus redemptor resurrexerit et ad Dei dextram consederit, destinati sint. Quae tamen interpretatio a sententia loci prorsus esse aliena nobis videtur. Supra enim versibus 1 et 2 dixerat Apostolus: *καὶ ὑμᾶς ὄντας νεκροὺς τοῖς παραπτώμασιν καὶ ταῖς ἁμαρτίαις, ἐν αἷς ποτὲ περιεπατήσατε κτλ.*, unde liquet conditionem illam quasi actualem jam transiisse; infra autem versu 10 adiicit: *αὐτοῦ γάρ ἐσμεν ποίημα, κτισθέντες κτλ.*, quibus verbis praesentem regeneratorum conditionem describit, non illam, ad quam sumus destinati.

Ex eo autem, quod regeneratio est communicatio novae vitae, quam Deus nobis largitur, sua sponte efficitur, *vitam, quae nobis donatur regeneratione, esse vere divinam.* Non igitur est, quod de hac re pluribus exponamus; apparet enim ex multis illorum locorum, quos jam citavimus. Qua de causa hoc tantum breviter explicemus, quomodo regenerationis ipsa notione id contineatur. Qui generatus est, et vitam et vitae qualitatem a generatoribus habet; quicunque igitur ex Deo natus est, consecutus est vitam divinam. Hinc Apostolus (Joh. 1, 13) filios Dei negat generatos esse ex sanguine aut ex voluntate carnis aut ex voluntate viri, sed ex Deo; quod enim genitum est ex carne, et ipsum caro est carnisque habet naturam; quod autem genitum est ex Deo, conditione divina utitur, vel, uti Petrus apostolus dicit, divinae naturae particeps est. Ubicunque igitur in Scriptura homo generatus ex Deo esse dicitur, subaudiendum est, eum per illam generationem vita uti divina eaque opposita vitae ex parentibus receptae, quae, quamvis a Deo sit profecta, tamen jam non sit vere divina. Eadem vis inest in voce „*εἶναι ἐκ τοῦ θεοῦ*“; significat enim effectum generationis ex Deo, ita ut hominem novam ex Deo vitam habere, vitam habere regenerationis praedicet.

Regenerationis autem vitam homo habere non potest, *nisi intraverit in communionem cum Christo.* Neque enim ullum beneficium spirituale neque ulla salus homini contingit, nisi per Christum et in Christo. Itaque nec vitae divinae particeps fieri potest, nisi Christum, qui ipse et solus vera vita est, in se receperit, cum eo in communionem intrarit. Quapropter egregie *Calvinus* tertium institutionis librum, ubi de gratiae Christi percipiendae modo agit, ita incipit: „Nunc videndum, quomodo ad nos perveniat, quae Pater Filio unigenito contulit bona, non in privatum usum, sed ut inopes egenosque locupletaret. Ac primo habendum est, *quamdiu extra nos est Christus, et ab eo sumus separati, quicquid in salutem humani generis passus est ac fecit, nobis esse inutile nulliusque momenti.* Ergo ut nobiscum quae a Patre accepit communicet, nostrum fieri et in nobis habitare oportet. Ideo et caput nostrum vocatur, et primogenitus inter multos fratres: nos etiam vicissim dicimur in ipsum inseri, et eum induere:

quia nihil ad nos (ut dixi) quaecumque possidet: donec cum ipso in unum coalescimus.“ Eodem modo Scriptura. Salutiferam enim sui cum homine conjunctionem, de qua Joh. 6, Dominus aeque arctam esse dicit, ac cibi corporalis communionem cum homine: homo sicut per hanc conjunctionem ac communionem habet et sustentat vitam corporalem, ita per illam habet et sustentat vitam spiritualem. — Sola mansio in Christo vite sec. Joh. 15 fideles reddit palmites fructuosos; eam communionem si deserunt, nihil efficere possunt, nullos proferunt fructus, jam ejecti colligentur et in ignem conjicientur. — Loco 2 Cor. 5, 17 nova creatura dicitur is, qui in Christo est, arctissima cum Christo communione, ex qua vita nova ei affluit, fruitur. — Vitae, quam homo Christianus agit, autor amplius non est homo ipse, quatenus, qui a Deo alienus sit, servitute tenetur a morte ac Diabolo; sed Christus potius fidelem inhabitando efficit, ut nova illa vita fruatur (Gal. 2, 20; Col. 3, 4)[1]. Efficit autem Christus vitam illam novam, quia est *δύναμις θεοῦ* (1 Cor. 1, 24) i. e. quia per Christum in electis operatur Deus, quaecumque si placuerint. Quum igitur quaecunque vocabulo vitae continentur beneficia spiritualia, omnia ex Christo hominibus affluant, Christus est *πνεῦμα ζωοποιοῦν*. Ita enim legimus 1 Cor. 15, 45: *οὕτως καὶ γέγραπται Ἐγένετο ὁ πρῶτος ἄνθρωπος Ἀδὰμ εἰς ψυχὴν ζῶσαν· ὁ ἔσχατος Ἀδὰμ εἰς πνεῦμα ζωοποιοῦν.* Quae Apostolus inde a. v. 42 dixerat „*σπείρεται ἐν φθορᾷ, ἐν ἀτιμίᾳ, ἐν ἀσθενείᾳ*“, v. 44 comprehendit verbis „*σπείρεται σῶμα ψυχικόν*“ — quia enim corpus est animale, potest propter peccatum esse *ἐν φθορᾷ ἀτιμίᾳ, ἀσθενείᾳ* — perhibetque hoc corpus animale cum satum sit resurrecturum esse spirituale. Neque enim quidquam aliud, ut fiat corpus spirituale, postulatur, nisi ut adsit corpus animale, quale hominis corpus est. Nam primum hominem, Adamum, ex quo omnes habemus et originem et qualitatem, Scriptura testatur factum esse in animam viventem (Gen. 2, 7 וַיְהִי הָאָדָם לְנֶפֶשׁ חַיָּה), unde etiam corpus hominis aliud esse nequit nisi

1) Cf. 1 Cor. 1, 7 nec non illos locos, quibus aut Christus fideles inhabitare dicitur: Joh. 14, 23; Rom. 8, 10; 2 Cor. 13, 5; Eph. 3, 17; Col. 1, 27; aut nos in Christo esse praedicamur: 1 Joh. 5, 20 (cf. v. 11. 12); 1 Cor. 1, 30.

animale, nec non eadem conditione fruitur, qua homo ipse, *ἡ ψυχὴ ζῶσα*. Animalis autem homo — ac quia homo, et corpus ejus — vivificatur ab altero Adamo (Christo), quippe qui factus sit in spiritum vivificantem. Quemadmodum enim ex primo Adamo homo factus est animalis, hominis corpus corpus animale, ita ex ultimo Adamo homo fit spiritualis, hominis corpus spirituale. Appellatur autem h. l. Christus *Ἀδάμ*, quia est caput generis humani, ex ipso oriundi; *ὁ ἔσχατος Ἀδάμ*, quia post eum novum caput generis humani non erit; caput autem generis humani est Christus, quod factus est *πνεῦμα ζωοποιοῦν* i. e. Spiritus, qui non solum ipse vivit, sed etiam homines animales vivificat. Itaque Christus ipse est fons ille novae hominis vitae. — Similiter legimus 2 Cor. 3, 17: *ὁ δέ κύριος τὸ πνεῦμά ἐστιν· οὗ δέ τὸ πνεῦμα κυρίου, ἐλευθερία*: Christus est Spiritus i. e. novae vitae principium; quatenus autem hoc principium homini inseritur et in eo operatur, a Domino ipso, ex quo egreditur, distinguendum est et Spiritus Domini vocatur. Haec igitur hujus versus sententia est: ex Mose quidem venit lex, Christus vero est Spiritus sive novae vitae principium; lex affert vinculum mortus (cf. v. 6: *τὸ γράμμα ἀποκτέννει*), ex Spiritu Domini provenit libertas vitae (v. 6: *τὸ δὲ πνεῦμα ζωοποιεῖ*; cf. etiam v. 18). Christi igitur Spiritum habeamus necesse est, ut in Christo simus vitaque regenerationis fruamur. Sic alio quoque loco Apostolus (Rom. 8, 9. 11): *εἴ τις πνεῦμα Χριστοῦ οὐκ ἔχει, οὗτος οὐκ ἔστιν αὐτοῦ* [1]). Sed ut intelligamus, quomodo nova regenerationis vita in nobis efficiatur, investigandum nobis videtur, quomodo in communionem cum Christi intremus, sive Spiritus ipsius participes fiamus. Ac duo quidem sunt media, quibus Deus nos facit participes Christi ejusque Spiritus ac vitae: Baptismus et Verbum, de quibus jam singulatim disputandum videtur.

Sect. II. De mediis illius immutationis.

Johannes baptista, Domini praecursor, advenerat, ut Israelem ad recipiendam salutem, quae tunc proxime instabat, praepara-

---

2) Cf. etiam Rom. 8, 2: *ὁ νόμος τοῦ πνεύματος τῆς ζωῆς ἠλευθέρωσέν με ἀπὸ τοῦ νόμου τῆς ἁμαρτίας καὶ τοῦ θανάτου*.

ret. Quapropter qui ad ipsum se convertebant, eos ad poenitentiam excitabat (Matth. 3, 2) et baptismo poenitentiae ad remissionem peccatorum baptizabat (Marc. 1, 4; Luc. 3, 3). Quid autem est *βαπτίζειν*? Alii dicunt: inundare (überströmen); alii: submergere ut is, qui submergatur, novus prodeat (quasi sepelire); alii immergere ut, is qui immergatur, purus prodeat (purgare). Priorem interpretationem qui sequuntur, constructionem *βαπτίζειν εἴς τι* (Marc. 1, 9) explicare nequeunt et usu hujus vocabuli apud scriptores profanos, quibus *βαπτίζειν* immergere, non inundare est, refutantur. Pari modo interpretationi alteri usus classicus adversatur; praeterea, qui illam significationem vocabuli esse statuunt, aliam significationem vocabulo *βαπτίζειν* tribuere debent Marc. 7, 4; Luc. 11, 38; Hebr. 9, 10. Iccirco sequimur tertiam illarum interpretationum, cui nulla constructio obstat. „*Εἴς τι*“ si adiunctum est, indicat mamateriam, in quam immergitur; „*ἔν τινι*“ liquorem, in quo, qui immergitur, versatur donec resurgat [1]); cum dativo si copulatur, dativus materiam, in quam immergitur aliquis sive qua mundatur, tamquam medium proponit, quo absente baptizari sive purgari non potest.

Illum Johannis baptismum, qui aqua fiebat, supra jam diximus baptismum fuisse poenitentiae ad remissionem peccatorum. Qui igitur a Johanne baptizandum se curabat, profitebatur, resipiscentia, mutatione totius animi et peccatorum remissione sibi opus esse, ut in regnum coelorum intraret; quapropter baptizandus animum, quantum poterat, ad Deum convertebat ac, dum baptizatur, peccata confitebatur [2]), optans, ut peccata sibi remitterentur, peccata abluerentur. Hoc desiderantibus baptismo Johannis, quippe qui fieret ad remissionem peccatorum, satisfactum est. Nam ita qui poenitentiam agebat, ei peccata amplius non imputabantur, quod voluntati Dei, ita ut baptizandum se curaret, paruisset, ideoque erat idoneus ad regnum coelorum intrandum. Nec tamen aliud quidquam Johannis baptismo effici potuit, nisi

---

1) Ita haud raro apud autores classicos; — cf. Matth. 26, 23: *ὁ ἐμβάψας μετ᾽ ἐμοῦ τὴν χεῖρα ἐν τῷ τριβλίῳ.*

2) Cf. Matth. 3, 6: *καὶ ἐβαπτίζοντο — — ἐξομολογούμενοι τὰς ἁμαρτιάς αὐτῶν*; Marc. 1, 5.

ut peccatis eo, quo diximus, consilio venia fieret. Qua de causa Baptista ipse se quidem aqua baptizare praedicat, Jesum vero spiritu et igni. Sicut aqua externae quidem sordes abluuntur, nec tamen obstruitur fons earum, ita per hunc aquae baptismum culpa quidem si quis poenitentiam egerit condonata est, ita tamen, ut peccatorum fons non obturetur. Quod ut efficeret, venit Christus baptizans Spiritu et igne. Per Spiritum autem hominem transformat, conditionem ejus immutat, novam vitam ei impertitur. Spiritus enim ubique vitae fons est. Per ignem vero consumit eum, qui immutari se non siverit. Igni enim, quum aquae purganti hic opponatur, vis consumendi competit (Matth. 3, 12; Luc. 3, 17) [1]). Ex iis igitur, quae Baptista cum de se suoque opere tum de Christo ejusque opere dicit, non tam quis sit baptismus Christianus discimus, quam quo consilio opus suum perfecturus fuerit Christus, eo quidem, ut homines aut communicato vitae novae principio aut plane consumendo purgaret.

Locos illos, quibus Jesus baptizasse traditnr (Joh. 3, 22 sq.; 4, 1 sqq.), omittere possumus, quia hic Jesu baptismus idem est atque baptismus Johannis, quemadmodum ipse quoque Jesus primo praedicavit *μετανοεῖτε· ἤγγικεν γὰρ ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν* (Matth. 4, 17; Marc. 1, 14. 15).

Dominus loco Matth. 28, 18 sqq. quamquam baptismum Christianum non instituit, praecepit tamen, ut baptizando et docendo Apostoli omnes gentes redderent discipulos ipsius. Participiis temporis praesentis *βαπτίζοντες* et *διδάσκοντες* indicatur, quid Apostolis, ut gentes reddant Domini discipulos, faciendum sit. Ac primum quidem erant baptizandae in nomen Patris et Filii et Spiritus sancti. Hic baptismus quomodo instituendus esset, Apostoli sciebant ex baptismo Johannis et Christi ipsius; quo vero consilio postea esset administrandus, Dominus docuit. *Εἰς* enim praepositione significatur directio vel consilium; eo igitur consilio gentes erant baptizandae, ut eorum esset nomen Patris et Filii et Spiritus sancti. Vocabulo *ὄνομα* significatur, quid qualeque sit, cui hoc illudve nomen tribuatur. Itaque secundum nostrum locum eo consilio baptizandi sunt homines, ut

1) Ex hoc discrimine cognosci licet, cur „*καὶ πυρί*“ Act. 1, 5 desit.

Deus eis sit Pater, ut Filius omnisque ejus redemptio ad eos pertineat, ut Spiritus sanctus eos inhabitet tamquam vitae auctor. Quodsi verbis *βαπτίζοντες εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς κτλ.* significatum est, *τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς κτλ.* baptismo eis, qui baptizantur, possidendum tradi, necesse est per baptismum recipiantur in ecclesiam Dei Christique. Quum vero, qui civitatis cujusdam civis est, ita etiam se gerere debeat, adjungit Dominus: *διδάσκοντες αὐτοὺς τηρεῖν κτλ.* Sequitur igitur per baptismum hominem in societatem Christianam recipi omnibusque redemptionis fructibus ac Spiritu sancto ipso donari; deinde autem necesse esse, homo talem se praestet, qualem civem regni Dei deceat. Homini autem adulto persuadendum esse, antequam baptizetur, necesse esse, quo salutem consequatur, baptizetur, i. e. ad fidem eum perducendum esse, nostro quidem loco non diserte dictum est, quamvis sua sponte appareat.

Discipulis suis Dominus, antequam in coelum ascendebat, promisit, paucis abhinc diebus eos in Spiritu sancto baptizatum iri (Act. 1, 5). Hoc tamen Dominus non solum ita promisit, ut eos omni peccatorum culpa per Spiritum mundatum iri significaret, sed, quia Spiritus sanctus hominem mundare nequit, nisi eum inhabitarit, Spiritum sanctum eos etiam inhabitaturum et novam vitam in eis inchoaturum esse. Sic demum impleri poterat, quidquid olim eis erat promissum (Act. 1, 4; cf. Luc. 24, 49; Joh. 14, 26; 16, 7). Ita Spiritu sancto (Dei Christique Spiritu), qui novae vitae auctor est, mundati et instructi novum sunt genus in vetere hominum genere, sunt civitas Dei et Christi. Quodsi videmus, quomodo quae Dominus promiserit impleta sint die pentecostes, Apostoli non modo Spiritu sancto tamquam novae vitae principio instructi erant, sed ita etiam Spiritu sancto praediti, ut ad munus, quod eis erat implendum, idonei essent. Hoc respectu Spiritum sanctum nuncupamus charismaticum, illo personalem; idem tamen semper manet Spiritus Dei et Christi, — diversus tantum pro operationis suae consilio. Charismaticus autem Spiritus homini tantum data occasione, non semper adest. Pentecostes die Discipulis totius mundi, qui Deum laudaret, partes erant agendae, ut scite jam Bengelius ad Act. 2, 4 affert: „haec familia, totius mundi linguis Deum celebrans, erat instar totius mundi linguis suis Deum

laudaturi" [1]), cuis partes ut agere possent, Spiritu sancto charismatico erant impleti. Spiritum hunc charismaticum quominus cum Spiritu personali confundamus, impedit nos quod legimus Act. 4, 31: eosdem Discipulos (iterum) Spiritu sancto impletos esse, et verbum praedicasse cum fiducia. Aut enim secundum hunc locum Spiritus sanctus personalis, quem die pentecostes acceperant, ab Apostolis decesserat, aut intelligendus est ille locus de Spiritu sancto charismatico. Primis autem ecclesiae temporibus Spiritum charismaticum credulos omnes aut certe longe plurimos inhabitasse, liquet, nisi fallor, ex 1 Cor. 12—14.

Quum postea Judaei Petrum concionantem interrogarent, quid sibi faciendum esset, ut salus jam orta sibi quoque contingeret, respondit Apostolus (Act. 2, 38): *μετανοήσατε καὶ βαπτίσθητω ἕκαστος ὑμῶν ἐπὶ τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, καὶ λήμψεσθε τὴν δωρεὰν τοῦ ἁγίου πνεύματος.* Vocabula *βαπτίζειν ἐπί τινι* vertimus „baptizare ad aliquem" i. e. ita baptizare, ut is, ad quem baptizor, meus fiat; vocabulo enim *ἐπὶ* non solum fundamentum significatur, quo nisum aliquid fit, sed etiam finem et consilium indicat, quod ut assequamur, aliquid facimus aut aliqua re afficimur, cf. Gal. 5, 13; 1 Thess. 4, 7. Quodsi quis poenitentiam agit et eo consilio se curat baptizandum, ut Jesus ipsi fiat is, qualem eum esse praedicatur nomine: accipit donum Spiritus sancti. Postulat igitur Apostolus a Judaeis illam sensus animique mutationem, quae eis baptismi desiderium injiciat; baptizatis autem Spiritum sanctum non defuturum esse promittit. Quaerendum vero est, utrum de Spiritu personali haec dicta sint, an de Spiritu charismatico? De utroque: de charismatico, quia de hoc potissimum Joel propheta, cujus vaticinia jam impleta esse Petrus antea demonstrarat, locutus erat; de Spiritu personali, quia id potissimum, ut hic hominis fieret, quidquid Christus fecit, spectarit. Itaque nostro quoque loco donum Spiritus sancti quam arctissime cum baptismo conjunctum est.

Quodsi ex locis hucusque interpretatis constat, Spiritum sanctum ita cum baptismo esse conjunctum, ut in homine ba-

---

*) Cf. praeterea, quae adnotavit Baumgarten, die Apostelgeschichte I, pag. 53 sq.

ptizato sit novae vitae principium, illos locos, qui huic opinioni adversari videntur, facile explicabimus. Ac primum quidem sententiae nostrae videtur obstare Act. 8, 8—24. In Samaritanos, quamvis baptizati essent in nomen Christi, tamen nondum Spiritus sanctus ceciderat. Quod de Spiritu personali si intelligimus, negandum est, Samaritanos in nomen Jesu i. e. in communionem cum Jesu Servatore, cujus est, vitam aeternam et divinam dare (cf. Joh. 10, 10. 28; 17, 2; Act. 3, 14), baptizatos fuisse. Quam ob rem Samaritanos nondum tali modo statuimus Spiritu sancto donatos fuisse, quo discipuli die pentecostes i. e. nondum spiritu charismatico. Quod ut putemus, narrationis contextus ipse flagitare videtur. Nam si de Spiritu personali, qui secreto modo nos facit homines novos, non de Spiritu charismatico, qui edit miracula, locus noster intelligendus esset, certe Simon magus potestatem impertiendi Spiritus sancti ab Apostolis emere non cupivisset.

Spiritum sanctum, qui in Cornelium ceterosque incidit (Act. 10, 44), Spiritum fuisse charismaticum, opparet ex Act. 10, 46. Deinde si fuisset Spiritus personalis, non amplius eis opus fuisset baptizari. Nihilominus tamen baptizati sunt, quemadmodum et Apostoli ipsi die pentecostes Spiritu sancto baptizabantur, quamvis jam antea (Joh. 20, 22) Dominus eis dixisset: *λάβετε πνεῦμα ἅγιον;* ita enim remittendorum tantum aut retinendorum peccatorum facultas iis data, vel Spiritus quidam charismaticus donatus est.

Illud esse discrimen inter Spiritum pers. et charism. nisi statuimus, vix quae Act. 19, 1—6 narrantur, intelligemus. Venerunt Ephesum duodecim discipuli Johannis baptistae, qui baptismo tantum Johannis erant baptizati, qui Spiritum sanctum esse omnino ignorabant. Quos baptizavit Paulus apostolus in nomen Domini Jesu; baptizatis autem quum imponeret manus, Spiritus sanctus venit super eos, ita ut loquerentur linguis et prophetarent. Hunc Spiritum sanctum, qui manuum impositione asciscebatur, fuisse charismaticum ex iis, quae effecit, cognoscimus. Nam si, ut Spiritus personalis participes fierent, impositione manuum opus fuisset, frustra, quum Johannis baptismuum jam accepissent, in nomen Domini Jesu baptizati

essent; Spiritu enim personali destituti in communionem cum Jesu per baptismum non intrassent.

Loco, qui est de baptismo praeclarissimus (Rom. 6, 2 sqq.), Apostolus lectoribus, quod sint baptizati, in peccatis vivere eis jam non licere demonstrat. Quotquot enim baptizati sumus in Jesum Christum, in mortem ejus baptizati sumus i. e. in communionem mortis Christi intravimus, ita ut Christi mors sit nostra. Quum vero Christus mortem non ita subierit, ut in morte maneret, sed ut ad novam vitam resurgeret, Christiani quoque, qui in ejus mortem baptizati sunt, eo consilio sepulti sunt [1]) cum eo per baptismum in mortem [2]), ut quemadmodum Christus suscitatus est ex mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus. Quae inde a versu 5. sequuntur verba, dificilia sunt explicatu; fortasse tamen hunc in modum intelligenda sunt: *σύμφυτος* = concretus (verwachsen, zusammengewachsen); ad „*σύμφυτοι*“ ex versu praecedente, ubi Paulus jam de nostra cum Christo communione, per baptismum effecta, dixerat, supplendum est *αὐτῷ* vel *Χριστῷ*; dativus *ὁμοιώματι τ. θ. α.* significat quem ad finem cum Christo coaluerimus; ante „*τῆς ἀναστάσεως*“ iterum „*τῷ ὁμοιώματι*“ supplendum est. Hujus igitur versus sententia haec est: quum per baptismum, in Christum factum, cum Christo coaluerimus eo consilio, ut, quemadmodum ipse mortuus esset, pari modo nos quoque quod attinet ad vitam, peccato obnoxiam, moreremur, necesse est, resurrectionis Christi communio sit finis illius cum eo concretus, quia Christus non ut in morte maneret, sed ut resurgeret, mortuus est. Jam v. 6 Apostolus, ut quod v. 5 dixerat, lectoribus probet, ad id provocat, quod ipsi experti sint, id dico, quod vetus noster homo cum Christo cruci sit affixus, ut vi sua privaretur corpus peccati, ut peccato amplius

---

1) Sepeliendi vocabulo utitur pro moriendo Apostolus, quia mortis quasi sigillum est sepultura.

2) Referimus „*εἰς τὸν θάνατον*“ ad „*βαπτίσματος*“ non ad „*συνετάφημεν*“, neque putamus necessario *αὐτοῦ* apud „*θάνατον*“, ut opinio nostra sit recta, requirendum esse; etenim m o r t e m per baptismum nobis asciscí Apostolus h. l. defendit, non, C h r i s t i mortem esse, in quam baptizemur.

non serviremus. Itaque secundum hunc v. 6 homo, qualis natura est ante baptismum et ante regenerationem, per baptismum cruci Christi eo consilio est affixus, ut *τὸ σῶμα τῆς ἁμαρτίας*[1]) vi, qua hominem ad peccandum cogat, privetur, ne peccati servitute homo amplius oppressus teneatur. — Ita ex Rom. 6, 2—6 concludendum videtur: 1) baptismo hominem inseri in Christum eumque mortuum; 2) baptismo hominem illa vi, qua ad peccandum cogatur, liberari; 3) baptismo hominem obligari, ut talem se praestet, qui peccati potestate sit exemptus.

Ad quaestionem nostram quid locus multum tritus Gal. 3, 26. 27 pertineat, dubius potest esse interpres. Quaerendum enim est, utrum Apostolus Gal. 3. 4 de sola justificatione, an de regeneratione quoque loquatur. Ego quidem opinor de utraque eum loqui. Vituperat enim Galatas, quod iterum legis jugo se subjiciant ita, ut neget, eos ex legis operibus vel justificatos esse, vel novae vitae Spiritum accepisse (cap. 3, 2—5. 21); utrumque potius provenire ex fide. Aptissime enim inter se cohaerent justificatio et regeneratio, quamquam non sunt confundendae (cf. cap. 3, 21). Ne vero legi iterum se subjiciant, Apostolus Galatas admonet, se, quippe qui filii sint in Christo per fidem, sub paedagogia legis amplius non esse. Filii autem sunt in Christo per fidem, quia quotquot baptizati sunt, Christum induerunt; postulatur igitur ab homine fides; datur a Deo ei baptismus. Itaque si quis filius in Christo esse voluerit 1) habeat necesse est fidem; 2) Christum induat per baptismum. Quicunque enim baptizantur, ii Christum induunt, in communionem Christi intrant, Christo inseruntur. Qui vero Christo sunt insiti, ii Spiritum ejus vivificantem accipiunt. Hic enim est fructus communionis cum Christo[2]).

---

1) Voce *σῶμα* intelliguntur, quaecunque in homine a Spiritu Dei vivificantur; genitivus *ἁμαρτίας* est epexegeticus, *σῶμα* igitur *σῶμα ἁμαρτίας* appellatur, quia *ἀπὸ τοῦ σώματος* oritur peccandi necessitas.

2) Cur fide, ut quis fiat filius Spiritumque in se habeat operantem, opus sit, vel cur illa beneficia, quaecunque baptismo adscribimus, omnia in hominem objective tantum, ut dicitur, conferantur, infra demonstrabimus.

Eph. 5, 26 de ecclesia quidem agitur; quia vero in ecclesiam, quae illic legimus, valent, eadem non minus valent in ecclesiae cives. Et praecipit Apostolus maritis, ut uxores diligant, quemadmodum Christus quoque ecclesiam, sponsam suam, dilexerit. Tali autem amore ecclesiam complexus est, ut se ipse pro ea traderet, eam sanctificaturus eo, quod lavacro aquae in verbo mundavit, ut sisteret eam sibi gloriosam ecclesiam, non habentem maculam aut rugam aut tale quicquam: sed ut esset sancta et incontaminata. Sanctificationis igitur ecclesiae initium est lavacrum aquae in verbo; finis ejus gloria non habens maculam aut rugam. Quid autem est illud *λουτρὸν τοῦ ὕδατος ἐν ῥήματι*? Nonnulli putarunt, esse verbum praedicatum, homines lavacri instar puros reddens (Joh. 15', 3). Sed tria obstant huic interpretationi: 1) desideramus repetitionem articuli *τῷ* ante *ἐν ῥήματι*; 2) supervacaneus est, ita ut in errorem lectores facile inducat, genitivus „*τοῦ ὕδατος*“, quem non possunt tueri, cum dicunt, nos quoque vocabulis uti „Wasserbad“, „Wasserquelle“, quamquam nec tacite his verbis opponamus e. g. „Luftbad“, „Weinquelle“; nam „Wasserbad“ unum nobis est vocabulum, nequaquam tamen Graecis „*λουτρὸν τοῦ ὕδατος*“; 3) illa interpretatio aliena est a dictione Apostoli, cf. Act. 22, 16; Tit. 3, 5. Unde Apostolum hic de baptismo loqui putamus, verbaque „*ἐν ῥήματι*“ adjecta esse, quia lavacrum aquae per se non mundet, sed propterea tantum, quod voluntas est Domini, quam verbo pronuntiavit; „*ἐν ῥήματι*“ igitur idem est ac nostrum „kraft Wortes, vermöge ausgesprochenen Willens“; saepenumero enim vocabulis *ἔν τινι* id significatur, quo quid est, a quo quid dependet. Itaque nostro loco Apostolus dicit, baptismo ecclesiam a Domino mundari. Utrum vero hac mundatione culpam tantum demi, an simul inseri potentiam quandam, quae hominis animam purget, significetur, ex nostro quidem loco non apparet. Posteriorem autem Pauli sententiam esse, ex aliis locis e. g. Rom. 6, 3—6 concludendum esse duco.

Huic loco Rom. 6, 3—6, de quo supra, finitimus est Col. 2, 11. 12. Admonet hic Apostolus lectores, ne, quum sint Christiani, ex gentibus orti, aut se amplius daemonum potestati subjectos esse aut quidquam sibi deesse putent; qua de causa in Christo omnem plenitudinem Deitatis corporaliter habitare di-

cit, eumque omnis principatus et potestatis praedicat caput. Postquam deinde in memoriam eis vocavit, in illo ipsos esse completos, adiungit: in quo etiam circumcisi estis circumcisione, quae non fit manibus, in exutione corporis carnis, in circumcisione Christi, eo quod cum eo sepulti estis per baptismum, in quo simul suscitati estis per fidem operationis Dei, qui eum ex mortuis suscitavit etc. Singula jam videamus: *ἐν ᾧ* scl. *ὄντες*, eo quod sunt in Christo et Christus in eis; — *καὶ*, quia in Christo omnibus, quibus impleri possunt, impleti sunt, neque circumcisio eis deest, unde nec Judaei eis antecedunt; — *περιτομῇ ἀχειροποιήτῳ;* sed multo praestat circumcisio Colossensium Judaeorum circumcisioni; circumcisio enim Judaeorum fiebat manibus sacerdotum, Colossenses vero a Deo ipso circumcisi sunt; deinde quum Judaeorum circumcisio manibus fieret, illas solas sordes auferre poterat, quae auferuntur adhibitis manibus, circumcisione vero, qua Colossenses circumcisi sunt, intestinae quoque sordes ablutae sunt; — *ἐν τῇ ἀπεκδύσει* = eo quod exuti estis; per passivum hoc „*ἐν τῇ ἀπεκδύσει*" solvendum esse, inde apparet, quod Apostolus dicturus est, quae quot bona lectoribus cum Christo contigerint; — vocabulo *σῶμα* (cf. quae jam ad Rom. 6, 3 sqq. adnotavimus) comprehenduntur quaecunque in homine, a Spiritu Dei nondum vivificato, mortua sunt; — *σάρξ* est natura humana, quae a Spiritu divino, qui ad Deum eam dirigit, destituta, morti peccatoque est obnoxia; genitivus *τῆς σαρκὸς* epexegeticus est denotatque corpus humanum, quod per se etiam *σῶμα τοῦ πνεύματος* esse potest, in praesentia ab ista carne dependere; — *ἐν τῇ περιτομῇ τοῦ Χριστοῦ* appositio est prioris membri *ἐν τῇ ἀπεκδύσει κτλ.* significatque illam exutionem esse circumcisionem a Christo ipso administratam; — *συνταφέντες αὐτῷ ἐν τῷ βαπτίσματι;* Paulus postquam per „*ἐν τῇ ἀπεκδύσει κτλ.*" et „*ἐν τῇ περιτομῇ*", quae esset Colossensium circumcisio *ἀχειροποίητος*, dixit, nunc per „*συνταφέντες κτλ.*" lectoribus in memoriam revocat, qua ratione haec circumcisio facta sit: eo quod baptizabantur in Christum, in communionem intraverunt cum eo, quatenus est mortuus et sepultus, ita ut, quemadmodum Christi vita in corpore carnis (Col. 1, 22) morte est finita et sepulturâ abolita,

ita ipsorum quoque vita in corpore carnis finita esset per Christum sepultum. Neque tamen sepultura continetur finis baptismi, quare Apostolus pergit: — *ἐν ᾧ καὶ συνηγέρθητε κτλ.*; ad „*ἐν τῷ βαπτίσματι*" ut referamus hoc „*ἐν ᾧ*", postulat *συνηγέρθητε*, quod a „*συνταφέντες*" separari non potest; itaque; quia baptizati sunt, sunt etiam resuscitati; — *διὰ τῆς πίστεως τῆς ἐνεργείας τοῦ θεοῦ κτλ.*; resuscitatio requirit fidem tamquam instrumentum sive causam mediam; genitivus *τῆς ἐνεργείας* aut est appositio ad „*τῆς πίστεως*", aut cui praestanda fuerit fides indicat, aut est genitivus originis sive causae. Prior interpretatio durior esse nobis videtur, quam quae admitti possit; secunda a re est aliena, quoniam Paulus hoc vult dicere, quae et quot beneficia Deus lectoribus in Christo impertiverit; sequamur igitur tertiam, conferentes cum Bengelio Eph. 1, 19; 2, 8. Qui Christum e mortuis suscitavit Deus, in nobis efficit fidem, ut et ipsi cum Christo resurgamus. — Ex nostro igitur loco eadem fere collgenda sunt, quae ex Rom. 6, 2—6: 1) per baptismum nos induci in communionem cum Christo sepulto; 2) per baptismum nos liberari corpore carnis (i. e. effectibus ejus cogentibus); 3) per baptismum, si quidem accesserit fides, nos resuscitari,

Hunc vero locum qui prorsus interlexerit, facilius etiam Tit. 3, 5 intelliget. Cohortatur Apostolus inde a cap. 3, 1 Titum discipulum, ut Cretenses doceat, quomodo Christianos deceat se gerere. Sint autem Christiani pacifici, candidi, mites erga erga omnes homines, quemadmodum et Deus mitem suum animum et amorem erga nos manifestarit, quum nos, quamquam ipsi essemus et peccatis obnoxii et comprobatione ejus indigni alienique, servasset. Apostolus igitur, quum dicturus sit, quid Deus, qua sit misericordia, nobis praestiterit, non de iis loquitur, quae nobis, ut salutis fieremus participes, praestanda erant, sed de iis, quae Deo, ut nos servaret, erant facienda. Eo vero consilio Deum pro misericordia sua nos servasse (v. 7), ut haeredes fieremus vitae aeternae secundum spem; qua vero ratione hanc nostram salutem effecerit, dicit illis verbis, quae potissimum huc pertinent: *ἔσωσεν ἡμᾶς διὰ λουτροῦ παλιγγενεσίας καὶ ἀνακαινώσεως πνεύματος ἁγίου, οὗ ἐξέχεεν ἐφ' ἡμᾶς πλουσίως διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ*; servavit igitur nos, quod nobis ava-

crum praeparavit. Quum vero non omne lavacrum servet, adjungit Apostolus, unde huic lavacro sit servandi illa vis; inde quidem, quod est *λουτρὸν παλιγγενεσίας καὶ ἀνακαινώσεως πν. ἁ.* Conjungimus enim „*ἀνακαινώσεως πν. ἁ.*“ cum „*λουτροῦ*“, non cum *διὰ* [1]), conferentes ex Col. 2, 12 verba; *ἐν ᾧ* (scl. *βαπτίσματι*) *καὶ συνηγέρθητε διὰ τῆς πίστεως.* Quod ut coniungamus, movemur sententia: commemoravit enim Apostolus medium externum *παλιγγενεσίας* (baptismum); eodem autem medio incipit et *ἀνακαίνωσις πνεύματος ἁγίου.* Quid vero ab homine, ut revera innovetur a Spiritu sancto, praestandum sit, — fidem dico, cf. Col. 2, 12: *διὰ τῆς πίστεως τῆς ἐνεργείας κτλ.* — eam ob causam omittit Apostolus, quia quae Deus pro lenitate sua et amore nobis praestiterit, celebraturus est, et quod scribit de Christianis (*ἔσωσεν ἡμᾶς*), a quibus praestita iam est fides illa, quam debent praestare. Sed quaerendum est, vocabulum *παλιγγενεσία* utrum sit active h. l. an passive usurpatum, sive utrum *τοῦ πνεύματος ἁγίου* ad *παλιγγενεσίας* quoque, an ad *ἀνακαινώσεως* vocabulum tantum sit referendum. Posterius ut statuamus movemur vocabuli *παλιγγενεσίας* et radice et usu. Compositum enim est ex *ἀνά*, denuo, iterum, et substantivo verbi *γενέσθαι* fieri, esse, unde liquet, vocabulum *παλιγγενεσία* idem esse ac „Wiederwerdung“ sive „Wiedergewordenseyn“ [2]), non „Wiederzeugung“ sive „Wiedergeburt“. Hac significatione vocabulum hoc ubique, quod quidem ego sciam, usurpatum est [3]). Hinc apparet, genitivum „*τοῦ πνεύματος ἁγίου*“ cum

---

1) Quod nonnulli codices et patres latini ante „*ἀνακαινώσεως*“ iterum legunt *διά*, spurium est.

2) Substantiva enim, quae in *σία* desinunt, a verbis derivata, non modo, sicut substantiva ejusdem generis in *σις* desinentia, meram verbi actionem exprimunt, sed etiam conditionem, quae illa efficitur sive effecta est e. g. *ὀξυβλεψία, καχεξία, πλεονεξία*; ita differrent *παλιγγένεσις*, si quidem hoc vocabulum reperiretur, et *παλιγγενεσία*.

3) Passive usurpata est vox *παλλιγενεσία* etiam a Josepho Ant. XI, 3, 9: *οἱ δὲ* (Judaei Babylone peregrinantes) *ἀκούσαντες εὐχαριστοῦσι μὲν τῷ θεῷ πάλιν αὐτοῖς ἀποδιδόντι τὴν πάτριον γῆν, εἰς δὲ πότον καὶ κώμους τραπέντες ἐφ' ἡμέρας ἑπτὰ διήγαγον*

„παλιγγενεσίας“ coniungi non posse. Lavacrum igitur illud, quatenus nuncupatur lavacrum regenerationis, id est lavacrum, quo iterum sive denuo fimus, — id lavacrum, quo novum novae vitae initium nobis datur. Ut vero novi secundum totam nostram conditionem fiamus, necesse est ad regenerationem accedat innovatio Spiritus sancti. Hanc autem innovationem ad fidem esse alligatam aliunde scimus; attamen idem lavacrum, quo regeneramur, hoc spectat, ut opera Spiritus sancti novi fiamus, et, cum ab hoc lavacro innovatio illa initium capiat, idem lavacrum innovationis Spiritus sancti appellatur. Jam non mirabimur, quod v. 6 Apostolus, Spiritum sanctum copiose esse effusum, dixit; neque enim loquitur de infantibus baptizatis, qui neque credere possunt, neque copiose jam habent Spiritum sanctum, sed de hominibus adultis (ἐφ' ἡμᾶς) simulque credentibus. — Discimus autem ex hoc loco: 1) baptismo novae vitae initium dari; 2) per baptismum hominem operationi Spiritus sancti, qui innovare eum cupiat, subjici.

Locos 1 Petr. 3, 21 et Hebr. 10, 22. 23, qui magis ad justificationem quam regenerationem pertineant, omittere praestat.

Postquam igitur singulos Scripturae locos, qui huc pertinere nobis videbantur, explicuimus, uno verbo possumus comprehendere, qui sacra Scriptura baptismo doceat facultatem inesse hominis regenerandi. Inseritur autem homo per baptismum Christo, necessitate peccandi, quae ei adhuc oriebatur ἐκ τοῦ σώματος τῆς σαρκός, liberatur, operationi Spiritus sancti subjicitur. Itaque per baptismum revera regeneratur homo [1]); regeneratio autem, quae baptismo efficitur, nondum

---

εὐωχούμενοι, καὶ τὴν ἀνάκτησιν καὶ παλιγγενεσίαν τῆς πατρίδος, ἑορτάζοντες, epulantes diesque festos agentes aut propter patriam recuperatam et reviviscentem; aut propter patriam revirescentem et reviviscentem; ἀνάκτησις enim, terminus technicus medicorum, adhibetur de eo, qui revirescit: quasi revirescentia. — Vocabulum „παλλιγενεσία“ vero per regenerationem non possumus non vertere, et quod vocabulum plane synoninum nobis in lingua latina non est, et quod vocabulum regenerationis in dictionem ecclesiasticam jam est receptum.

1) Cf. Luther's Predigt über Joh. 3, 1 — 15 vom Jahr 1535; ed. Erl. tom. 4, pag. 158.

est perfecta. Per baptismum enim Deus cum homine agit, quatenus est dependens, quatenus est positus s. creatura [1]). Neque enim quidquam requiritur ab homine ad baptismum recipiendum, nisi ut baptismo se subjiciat. Homo igitur, si baptizatur, nihil aliud nisi accipit, nil agit, secum agi tantum patitur [2]). Nec tamen is esse debet, qui semper dependeat et accipiat, sed qui fiat persona. Personae autem est, ipsam se ponere. Itaque homini, qui sit persona, hoc est agendum, ut sit qualem eum vult esse Deus; vel ut homo, qui est persona, servetur, necesse est operationi Dei qua servatum eat consentiat i. e. credat. Fidem igitur requirit salus hominis personae [3]), quemadmodum scriptum est Marc. 16, 16: *ὁ πιστεύσας καὶ βαπτισθεὶς σωθήσεται, ὁ δὲ ἀπιστήσας κατακριθήσεται*, et Joh. 3, 15: *ἵνα πᾶς ὁ πιστεύων ἐν αὐτῷ (ἐν τῷ υἱῷ τοῦ ἀνθρώπου) ἔχῃ ζωὴν αἰώνιον*, et aliis multis Scripturae locis. Credere autem homo non potest, antequam evangelium ei sit nuntiatum. Quis enim est, cujus animus moveatur, cujusque voluntas incitetur, ut velit quid facere aut respuat, verbo nisi annuntiato? Unde Apostolus, ubi fidem necessariam esse, ut salutis

---

1) Quod regenerationem, quae baptismo efficitur, nondum perfectam diximus, per se liquet, imperfectionem illius regenerationis non inde oriri, quod Deus non quaecunque facienda sunt, omnia fecerit, sed inde potius, quod homo non tantum sit creatura, sed etiam persona. Quatenus est creatura vel dependet, inseri potest in Christum, sicuti natura insitus est in genus humanum, ex Adamo ortum; potest donanari Spiritu Christi, sicuti natura Spiritum vitae naturalis accepit. Nec tamen ea salus, quae in hominem tantummodo confertur, eum, quatenus est persona, servare potest; accedat necesse est voluntas hominis, qua salutem sibi oblatam faciat suam, atque eum se praestet, qui salute, a Deo oblata, servari velit; cf. 1 Cor. 10, 1—13; Hebr. 3, 12—4, 3.

2) Hinc oritur parentibus Christianis liberos baptizandi necessitas quae dicitur moralis. Quamvis enim facere infantes nihil possint, possunt tamen accipere; quid? quod infantes pro aetate sua ad recipiendum baptismum maxime sunt idonei, quippe qui mere sint dependentes et accipientes, non agentes.

3) Ab infantibus fides non requiritur, quam pro conditione sua habere nondum possint.

per Christum et in Christo participes fiamus, docet, (Rom. 10), ex praedicatione adiicit hanc fidem oriri v. 14: *πῶς πιστεύσουσιν οὗ οὐκ ἤκουσαν,* et v. 17: *ἄρα ἡ πίστις ἐξ ἀκοῆς, ἡ δὲ ἀκοὴ διὰ ῥήματος θεοῦ* [1]). Quid? quod Johannes totum suum evangelium et primam epistolam eo consilio conscripsit, ut lectores hac verbi praedicatione ad fidem in Jesum Christum adducerentur, eaque fide obtinerent vitam aeternam (Joh. 20, 31; 1 Joh. 5, 13). Et Dominus ipse quum summus sacerdos preces coram Patre funderet, non modo oravit pro Discipulis, sed etiam pro eis, qui postea per verbum, ab Apostolis nuntiatum, crediturі essent (Joh. 17, 20).

Disputandum igitur nobis jam est de verbo, altera regenerationis causa media.

Proponitur quidem verbum Dei regenerationis instrumentum 1 Petr. 1, 22 sqq., quem locum supra fusius jam explicuimus. In memoriam tamen nobis revocamus, quid discriminis intercedat inter praepositiones *ἐκ* et *διά*; causa directa regenerationis est *σπορὰ ἄφθαρτος*, causa instrumentalis *ὁ λόγος ζῶν θεοῦ καὶ μένων.* Sic etiam Paulus *εὐαγγέλιον* pro causa tantum instrumentali habet, qua Corinthios regeneraverit, 1 Cor. 4, 15; et adjicit, hanc regenerationem factam esse in Christo, *ἐν Χριστῷ,* i. e. sine Christo regenerationem illam per evangelium omnino fieri non potuisse: per Christum igitur factum esse dicit, ut ipse Corinthios ita regeneraverit. — Regenerationis medium verbum esse dicit etiam Jacobus cap. 1, 18. Adhortatur autem lectores, ne a Deo se tentari et pellici credant. A Deo enim neminem seduci dicit; imo omne donum bonum et perfectum proficisci perhibet a Deo, qui mutare se nequeat; deinde subjungit: *βουληθεὶς (ὁ πατὴρ τῶν φώτων) ἀπεκύησεν ἡμᾶς λόγῳ ἀληθείας, εἰς τὸ εἶναι ἡμᾶς ἀπαρχήν τινα τῶν αὐτοῦ κτισμάτων.* Deum immutabilem esse ut lectoribus probet, Auctor sanctus in memoriam eis revocat, Deum id quod promisisset, fore ut Israelem redderet primitias creatuarum suarum (Gen. 12, 3;

---

1) *Ἄρα* consequentiam ducit ex iis, quae superioribus versibus dicta et Scriptura comprobata erant; *ἀκοή* non est „auditus", sed „auditum", „annutiatum", sicut illud Jesajae שְׁמֻעָתֵנוּ; verbis „*ῥῆμα θεοῦ*" mandatum Dei significatum est, quo praedicatores suos constituit.

18, 18; Jes. 60), servasse. Quod enim Deus ut perficeret, nos — scribit Jacobus ad eos, qui ex duodecim Israelis tribubus credebant — regeneravit, ut essemus illae primitiae. Primitiae autem sunt Israelitae, tam quia ex eis salus generi humano orta, quam quia post eos demum gentibus oblata est (Act. 13, 46. 47; 18, 5—7; cf. praeterea Matth. 10, 5. 6 cum Matth. 28, 19). Adjungit Jacobus *τινά* ad *ἀπαρχήν*, ut indicet, has primitias, quamvis sint parvulae, primitias tamen esse. Ad *αὐτοῦ κτισμάτων* cf. Jerem. 2, 3; 31, 33; Hebr. 8, 10. 11; — 2 Cor. 5, 17; Gal. 6, 15. Primitiae autem creaturarum Dei facti sunt Israelitae, quod ipse eos regeneravit per verbum veritatis i. e. per id verbum, quod de illa dei voluntate ac promissione (*βουληθείς*), quae jam impleta est, dicit [1]). Verbum igitur a Jocabo quoque proponitur regenerationis instrumentum. Unde autem competit verbo illa regenerandi vis?

Apparet ex verbis Domini: *τὸ πνεῦμά ἐστιν τὸ ζωοποιοῦν, ἡ σὰρξ οὐκ ὠφελεῖ οὐδέν· τὰ ῥήματα ἃ ἐγὼ λελάληκα ὑμῖν πνεῦμά ἐστιν καὶ ζωή ἐστιν* (Joh. 6, 63). Orationem praecedentem non modo Judaei sed multi etiam ex Discipulis ita intellexerant, ut putarent, Dominum se admonere, ut carne, quam tunc haberet, vescerentur, sanguinem, qui tunc in venis ipsius flueret, biberent; quapropter murmurabant et a Jesu se avertebant. Servator autem, ut errorem eorum corrigeret: quae vobis adhuc, inquit, annuntiavi, vos offendit cet.? Quae v. 62 sequitur enunciatio relativa, ita fere supplenda est: quid tunc facietis? Si ad Patrem rediero, haec mea oratio, quae iam nunc offensioni vobis est, maiori etiam erit? an intelligetis, de fruitione spirituali carnis et sanguinis mei, quae fit per fidem, me esse locutum? Deinde v. 63 diserte declarat quid oratione sua spectarit. Spiritus enim, qui vitae suae humanae principium est, etiam nos vivificat qui receperimus, nihil nobis caro ipsius, qualem tunc Judaei in oculis habebant, ab hoc Spiritu

---

1) Huc respicit etiam quod v. 22 legimus: *δέξασθε τὸν ἔμφυτον λόγον τὸν δυνάμενον σῶσαι τὰς ψυχὰς ὑμῶν*. Servari enim homo non potest, nisi verbum, a Deo per regenerationem ipsi insitum, receperit i. e. ei crediderit, nec non normam habeat et sentiendi et agendi.

si dissolvitur, prodest. Spiritum autem Christi vivificantem accipiemus, si verba ejus, quae modo enuntiavit, fide receperimus; haec enim sunt Spiritus et vita i. e. tam arcte cum his verbis Spiritus conjunctus est et vita (aeterna), ut qui haec verba animo credenti susceperit, necessario etiam Spiritum et vitam habeat. Cum verbis „*τὰ ῥήματα — ζωή ἐστιν*“ conferenda sunt verba institutionis sacrae coenae: „*τοῦτό ἐστιν τὸ σῶμά μου, τοῦτό ἐστιν τὸ αἷμά μου*“, quae ipsa ita exponenda sunt, ut qui hoc pane et vino vescatur, simul corpore et sanguine Domini fruatur. Quamquam autem, quae v. 63 leguntur, proxime ad orationem praecedentem respiciunt, tamen nihil est, quod quominus omnia Domini verba vitam esse ac Spiritum statuamus, nos impediat. Imo plane necessarium videtur secundum Joh. 12, 50: *ἡ ἐντολὴ αὐτοῦ (τοῦ πατρός) ζωὴ αἰώνιός ἐστιν.* Quomodo *ἡ ἐντολὴ* sit intelligenda, ex superiore versu apparet. Pater Filio, quid ei esset dicendum et nuntiandum, mandaverat. Quod mandatum Dominus perhibet esse vitam aeternam; quatenus igitur annuntiatione id perficit, vitam aeternam communicat. Unde qui Domini dicta et annuntiationes fide receperit, recepit vitam aeternam. Adeo sunt inseparabiliter inter se conjuncta verba Servatoris et vita aeterna, ut illa sine hac recipi nequeant. — Sed non solum ea verba, quae Servator ipse prolocutus est, Spiritus et vita sunt; sed pari modo etiam praedicatione, per homines facta, iis, qui receperint, a Deo utrumque donatur. Ipse enim Dominus Discipulis dicit Luc. 10, 16: „*ὁ ἀκούων ὑμῶν ἐμοῦ ἀκούει, καὶ ὁ ἀθετῶν ὑμᾶς ἐμὲ ἀθετεῖ.* Et Apostolus scribit Rom. 1, 16 (cf. 1 Cor. 1, 18. 24): *δύναμις θεοῦ ἐστὶν (τὸ εὐαγγέλιον) εἰς σωτηρίαν παντὶ πιστεύοντι* i. e. per evangelium, ab hominibus secundum mandatum Dei nuntiatum, Deus operatur salutem in omnibus, qui evangelio fidem habent. Hoc autem fieri nequit, nisi evangelium, per homines nuntiatum, Dei ipsius est verbum [1]) ideoque cum Spiritu sancto vivificante con-

---

1) Cf. 1 Thess. 2, 13: *εὐχαριστοῦμεν τῷ θεῷ ἀδιαλείπτως, ὅτι παραλαβόντες λόγον ἀκοῆς παρ' ἡμῶν τοῦ θεοῦ ἐδέξασθε οὐ λόγον ἀνθρώπων ἀλλὰ καθώς ἐστιν ἀληθῶς λόγον θεοῦ, ὃς καὶ ἐνεργεῖται ἐν ὑμῖν τοῖς πιστεύουσιν. — ὅς = λόγος θεοῦ.*

junctum. Ita enim nanciscitur facultatem salutis in credentibus efficiendae.

Qui igitur verbum Dei sive evangelium audiunt, in voluntatem et conscientiam recipiunt, fidem ei habent, ii habent vitam aeternam. Fides igitur evangelio habenda est, ut homo jam adultus vitae aeternae revera fiat particeps i. e. ut revera regeneretur [1]). Hanc Scripturae quoque esse doctrinam, apparet e. g. ex Joh. 5. Dominus illic Judaeis persequentibus, quod hominem per XXXVIII annos infirmitate oppressum sanasset, v. 17 dicit: **ὁ πατήρ μου ἕως ἄρτι ἐργάζεται, κἀγὼ ἐργάζομαι,** i. e. quia Pater, cujus sabbatismus quamvis jamdiu inceperit (cf. Gen. 2, 2; Exod. 20, 11; 31, 17; Hebr. 4, 4), operari tamen nondum desiit, neque mihi jam operatione absistere licet; nam creandi quidem finis Deo jam accessit, nec tamen redimendi. Hoc verbum iram Judaeorum auget, quod Dei parem se fecerit Jesus. Quapropter Judaeis nunc Dominus, nihil iniqui se dixisse, demonstrat; neque enim quidquam facit, nisi quod habeat a Patre, quaecunque autem Pater facit, et ipse facere debet, ut pari honore et veneratione colatur Filius, ac Pater [2]). Quid? quod majora etiam perficit, quam est illa aegroti sanatio; sicut enim Pater suscitat mortuos et vivificat, ita et Fiius quos vult vivificat (v. 21). Itaque non modo sanare potest aegros, sed revocare etiam mortuos in vitam. Qui tamen sint illi mortui, quae sit haec vita, cognoscimus ex v. 24: qui sermonem meum audit, et credit ei qui misit me, habet vitam aeternam, et in condemnationem non venit, sed a morte in vitam transiit. Illos igitur Dominus dicit mortuos, qui, quamvis vivant, vita vera et divina carent ac spiritualiter mortui appellantur; hi enim soli sermonem Servatoris audire fidemque Patri habere possunt [3]); — eamque dicit vitam, quae hominem moribundum, qui hoc in corpore adhuc est, a morte.

---

1) Cf. Luther, die erste Epistel S. Peters ausgelegt; ed. Erl. tom. 52, pag. 11.

2) Cf. Luthardt ad h. l.

3) Patri habet fidem, si quis testimonium, quod de Filio edit, acceperit, ideoque sermoni Filii credit, cf. v. 32. 36. 37.

quae dicitur spiritualis, ideoque a morte aeterna liberat. Quod igitur verba Domini audiendo credendoque accipiunt, jam habent vitam aeternam et in vitam a morte jam sunt transgressi; verbum enim si quis receperit, simul novae vitae, quae vera cum Deo communione continetur, principium nactus est [1]). Eandem, quam e v. 24 eruimus sententiam, gravius expressam videmus v. 25, ubi simul verbis „*καὶ νῦν ἐστίν* scl. *ὥρα*“ Dominus, jam inde ab hoc tempore audientibus i. e. credentibus vitam aeternam praeberi, addit [2]). Quod ne nimis mirentur Judaei, subjungit v. 28 et 29, eos quoque, qui ex hac vita corporali jam sint egressi, aliquando vocem suam audituros et ex sepulcris egressuros esse. Ex posterioribus his versibus 28 et 29, Dominum versibus 24 et 25 de illa vivificatione, quae fit hac in vita, locutum esse, luculentissime apparet.

Quum ex eis, quae modo attulimus, appareat, verbo evangelii nobis Spiritum Christi vivificantem, imo Christum ipsum communicari, facile nunc illos locos intelligemus, quibus 1) necesse esse verbum Dei nos inhabitet traditur, quemadmodum aliis locis Christus ipse; 2) similiter fide in Christum servari homines dicuntur, ac fide, quae verbo habita sit; 3) de fide idem praedicatur, quod de verbo. De singulis jam breviter videamus.

Ad 1) Johannes in I. epist. 2, 24 habet: Quod audivistis ab initio, in vobis maneat (cf. 1 Joh. 2, 14; Joh. 5, 24. 25): si in vobis manserit quod audivistis ab initio, et vos in Filio et Patre manebitis. Hanc vim habet verbum, quia per verbum Filius et Pater operantur in homine, sive quia per verbum Spiritus Dei Christique homini tribuitur. Neque tamen Spiritus, sed verbum ab Apostolo commemoratur, quia cum verbo ita

---

1) Ad „*ἀκούειν*“ cf. Hebr. 4, 2; bene Stier ad v. 24: „Das *ἀκούειν* empfängt hier natürlich vom dazugethanen *πιστεύειν* schon den prägnanten Begriff des rechten Hörens im Gehorsam des Glaubens, wie dann v. 25 *οἱ ἀκούσαντες* gemeint ist“; et Brückner apud De Wette ad eundem locum (ed. 4): „*ἀκούων* wie Vs. 30. 8, 38. 43. 47 vornehmlich vom geistl. Vernehmen als Glaubensbedingung.“

2) *Ἔρχεται* vocabulum positum est ante „*νῦν ἐστιν*“, quia quae tunc fiebant, initia tantum erant; sin quando evangelium toti mundo annuntiatum erit, tunc demum hoc Domini verbum plene implebitur.

conjunctus est Spiritus, ut homo jam adultus nisi hoc verbi medio externo servari non possit; unde si quis salvus fieri voluerit, is necesse est verbum evangelii i. e. Dei fide recipiat ac teneat. Manere enim in homine verbum non potest, nisi fide ab eo teneatur. Ubi autem fides desierit, verbum ex corde recedit, unaque cum verbo Spiritus sanctus. Quapropter Dominus Judaeis incredulis perhibet, eos, quia illi, quem miserit Pater, non credant, verbum Patris non habere in ipsis manens (Joh. 5, 38); percipiunt quidem verbum auribus corporis, sed fide cordis non tenent, ita ut manere in eis non possit. Nisi verbum Dei in homine habitat, nihil omnino boni facere potest, deest enim ei illa Spiritus sancti potentia vivificans, qua nanciscatur facultatem voluntatis Dei exsequendae. Quapropter et Judaei, in quibus verbum Christi non habitabat, Dominum interficere studebant (Joh. 8, 36).

Ad 2) Verbum quum propterea tantum, quod ipso Christus ejusque Spiritus operentur, facultatem illam vivificandi habeat, facile intelligitur, idem tribuendum esse fidei, quae Christo ipso, quod fidei, quae verbo habetur. Fides enim, quae Christo tribuitur, tribuitur salutis fundamento ac fonti; quae vero habetur verbo, medio salutis habetur. Verbum autem medium salutis (sensu subjectivo) esse desinit, nisi fides, verbo habita, simul ad Christum, salutis fontem, extenditur. Unde liquet, locis illis, quibus necesse esse fidem verbo haberi, ut homo servetur, probavimus, hos omnes locos adjungendos esse, quibus fide in Christum opus esse dicitur ad nanciscendam salutem: Joh. 3, 36; 6, 40. 47; 7, 37 sqq.; 8, 24; 11, 21—27, al.

Ad 3) Idem effici dicitur fide, quod verbo, quum Dominus (Joh. 15, 3) dicit: *ἤδη ὑμεῖς καθαροί ἐστε διὰ τὸν λόγον ὃν λελάληκα ὑμῖν*, Petrus vero (Act. 15, 9): *οὐδὲν διέκρινεν (ὁ θεός) μεταξὺ ἡμῶν τε καὶ αὐτῶν (τῶν ἔθνων), τῇ πίστει καθαρίσας τὰς καρδίας αὐτῶν.* Dominus enim significat, quid ab ipso Discipulis, ut mundi fierent, praestandum fuerit; Petrus, quid a gentibus ipsis requiratur. Nec iccirco inter se pugnant duo hi loci; utroque enim et verbo et fide ad homines purgandos opus est [1]).

---

1) Quamquam purgatio ad culpam magis hominis et justificationem, quam

Ex superioribus igitur apparet, homini adulto — hic enim solus verbum percipere potest — a Deo novae vitae principium per verbum inseri; ut tamen revera nova vita initium capiat ac vigeat, necesse esse, homo verbum Dei fide recipiat semperque teneat. Inest autem in verbo illa vivificandi facultas propterea, quod cum eo conjunctus est Spiritus sanctus; qua de causa Christiani, qui sunt regenerati, a sacra Scriptura Spiritu sancto praediti esse aut dicuntur aut sumuntur: Marc. 13, 11; Luc. 12, 12; Joh. 4, 14; 7, 37—39; 14, 26; 15, 26; 16, 7—15; 1 Joh. 2, 20. 27; 3, 24; 4, 13; Rom. 5, 5; 8, 9. 14. 15. 16; 1 Cor. 12, 13; Gal. 3, 2; 4, 6; Eph. 1, 13. 14; al.

Illis Scripturae locis, ex quibus, quomodo in homine mortuo nova vita eaque divina efficiatur, didicimus, jam absolutis, restat, ut hominem novâ illâ vitâ, ei insitâ, a peccandi quoque necessitate et Diaboli servitute liberatum esse, ostendamus. Utrumque autem nobis ex iis, quae supra disputavimus, videtur apparere. Quia enim nova vita a Spiritu sancto efficitur et arctissima cum Christo communione consistit, homo regeneratus, quippe qui Spiritu sancto agatur (Rom. 8, 14), peccare nequit, et in Christo, qui de Diabolo reportarit victoriam plenam ac perfectam, ex Diaboli potestate est ereptus. Quorum tamen beneficiorum eatenus tantum particeps est, quatenus novam vitam fide suam jam fecerit. Quatenus autem adhuc in hoc peccati et mortis corpore ambulat, Diabolus potestatem in eum exercere potest, et peccatum ansam habet erumpendi. Ista tamen cogens et irrestibilis ante Diaboli ac peccati acerbitas imperii per Christum, quippe qui mortis, peccati, Diaboli victor exstiterit, deleta est, ita ut homo per Spiritum sanctum et fidem vincere possit Diabolum. Itemque Scriptura docet, regeneratum quoque peccare quidem: 1 Joh. 1, 8—10; 2, 1; 1 Cor. 5, 1—8; Gal. 2, 11—14; Eph. 4, 30; tamen vitare etiam posse peccata, quae ut evitet, sit obstrictus: 1 Joh. 1, 6; 2, 3—11. 29; 3, 6—12; Rom. 6, 1—14; Col. 2, 11; cap. 3; saepissime. Eodem modo Scriptnra hominem regeneratum pronunciat potestate Dia-

---

ad regenerationem novamque vitam spectat, tamen de his quoque locis nobis videbatur dicendum esse, quia modo de praedicatione evangelii et fide, quidque inter eas intercederet cognationis, egimus.

boli esse liberum: Act. 26, 18; 1 Joh. 5, 18; Col. 1, 13; 2 Thess. 3, 3; Hebr. 2, 14; nihilominus tamen Apostolus, ut Deus pacis Satanam sub pedes nostros mox conterat, nobis precatur: Rom. 16, 20, nec non multis locis, ut a Diaboli machinationibus caveamus, admonemur: Jac. 4, 7; 1 Petr. 5, 8; 1 Cor. 7, 5; 2 Cor. 2, 11; Eph. 6, 11 sqq. 16; 1 Tim. 4, 1.

Omnis vero Diaboli peccatique potestas tum erit deleta, cum homini precanti: *ἐπιθυμίαν ἔχω εἰς τὸ ἀναλῦσαι καὶ σὺν Χριστῷ εἶναι· πολλῷ γὰρ μᾶλλον κρεῖσσον* (Phil. 2, 13) satisfactum erit; omnia peccati, mortis, servitutis Diabolicae vestigia exstincta erunt, quando (1 Cor. 15, 44) quod seritur *σῶμα ψυχικόν*, resurrexerit *σῶμα πνευματικόν*. Haec enim est sententia Petri apostoli (1 Petr. 1. 3 sqq.; cf. Tit. 3, 7), quum ad spem resurrectione Jesu Christi ex mortuis viventem nos esse regeneratos scribit, ad haereditatem incorruptam et incontaminatam et marcoris expertem, in coelis nobis servatam. Quapropter dissertatio nostra concludenda nobis videtur verbis Apostoli 1 Cor. 15. 54: *ὅταν τὸ φθαρτὸν τοῦτο ἐνδύσηται ἀφθαρσίαν καὶ τὸ θνητὸν τοῦτο ἐνδύσηται ἀθανασίαν, τότε γενήσται ὁ λόγος ὁ γεγραμμένος Κατεπόθη ὁ θάνατος εἰς νῖκος.*

Quum igitur ad finem disputationis pervenerimus, uno verbo quae nobis quidem Novi Testamenti de regeneratione doctrina videatur esse, comprehendamus. Est autem haec: Hominem vitâ divinâ s. aeternâ carentem et peccato Diaboloque obnoxium Deus ita vivificat et peccati Diabolique servitute liberat, ut Spiritum sanctum tamquam novae vitae principium ei inserat, vel, si ad media regenerationis spectas, ita ut hominem, quatenus est creatura, baptizandum curet, quatenus est persona, Evangelium ei nuntiet, quod nuntiatum, ut regeneretur, hominis sit, fide comprehendere ac firme tenere.

Errata.

Pag. 11. lin. 9. lege: quum peccando; p. 13. l. 16. l.: ni fallor; p. 16. l. 32. *Ἡρώδου*; p. 18. l. 20. l.: omittere; p. 20. l. 5. l.: omissa; p. 27. l. 10. l.: voce; p. 27. l. 37. l.: *παιδία*; p. 31. l. 20. l.: mortis.